

NICOSTRATI

E T

PHILADELPHI

D E

RECENTIORUM QUORUMDAM

S U P P L I C A T I O N I B U S

C O N T E N T I O N E S A L T E R Æ

I N L U C E M E D I T Æ.

P E R

V I C T O R E M C A N C E L L A T I .



C O L O N I Æ A G R I P P I N Æ,  
Typis JOANNIS METTERNICH, Bibliopolæ, 1692.

## CONTENTIO I.

*Detegitur supplicantium scriba, & aliquot ejus calumniæ confutantur.*



HILADELPHUS. Ita, ut prædixi tibi, Nicostrate, res evénit. Jam es mortalium omnium miserrimus; neque ego video, quò te vertas, aut quo tandem modo te ex hâc turba expediās. Usque adeò premeris.

NICOSTRATUS. Quid loquaris, Philadelphe, non intelligo. Quid tu mihi prædixisti umquam? aut quæ mihi jam obvénit miseria?

PHIL. Rogas? Nonne ego tibi prædixi futurūm, ut quæ nuper in supplices Theologos tam ardenter mittebas tela, facile infringerentur, tametsi ego resistendo non essem?

NIC. Id tu mihi dixisti quidem, jam memini; sed vanus fuiſti augur, neque alio spiritu, quàm Janseniano furore afflatus.

PHIL. O Nicostrate, nondum (utvideo) abs te lecta est *supplicatio altera supplicationis prioris apologetica*. Hanc tu si legifles, argumentis tuis nihil firmatatis reliquum esse cernerēs.

NIC. Supplicationem illam à capite ad calcem perlegi totam, & attentè quidem: neque tamen quidquam illic invenio, quod mea argumenta vel in speciem infirmet.

PHIL. Longè alia est, Nicostrate, Magistrorum meorum eruditissimorum hominum super hac re sententia. Et ne longius abeam, ipsi supplices Theologi, viri illi veracissimi, in supplicatione altera loco non uno victum te aiunt, & triumphum cecinisse ante victoriam.

NIC. Peracuta enimverò hæc tua est argumentatio: supplices Theologi te victum aiunt; ergo vicius es. An nescis, Philadelphe, certo hominum generi nihil esse tam solenne, quàm ex clade ipsa triumphantum cedere? Id usū edocitus suo est ipse Augustinus cum Pascentio Fisci Regii Exaftore Ariano congregatus. Historiam accipe verbis Possidii contextam in vita S. Augustini cap. 17. Augustinus vera ratione & autoritate Scripturarum probat̄ docuit & ostendit nostra fidei firmamenta: illius autem (Pascentii) asserta nullā veritate, nullā Scripturarum

rurorum Sacramentorum auctoritate suffulta docuit & frustravit. Et ut à se invicem partes disgress sunt, ille ( Pascentius ) magis magisque iratus est furans multa pro fide sua falsa iactabat, & victimum esse à seipso proclamans multorum ore laudatum Angustum. Vides, Philadelphie, victi haeretici triumphum? Non absimilem de Augustino triumphum victus cecinit Arianorum Episcopus Maxentius, cecinit vienus Julianus, & quod proprius à nostra astate abest, de Joanne Eckio Ingolstadiensi Theologo triumphum cecinerunt Lutherus & Carolstadius funesta clade in Lipsiensi Conflicatione affecti. Quid attinet memorare alios? Pleni sunt libri, plena hujusmodi exemplorum vetustas.

PHIL. O Nicostrate, antiquum obtines. Etenim si jam nunc me meosque tacite compares Haereticis, quid ages, ubi paullo magis exarserit contencio? Certè non secùs atque tuuis ille Victor Cancellati, *Victis quasi & perruptis omnis modestia Christiana CANCELLIS in aperta dictoria prorumpes.*

NIC. Hæc loquendi ratio videtur placere tibi mirificè, cum illam tam studiosè adhibeas. Sed crede mihi, Philadelphie, puerilis est & vix digna Grammaticastro allusio.

PHIL. Tamen ex Opstratiano calamo, ex aureo illo canale creditur effluxisse.

NIC. Itane verò? Igitur cavero ego mihi imposterum tam abjectè de ea loqui. Opstratium impensè colo: etenim inter Lovanienses Jansenistas non novi alium, in quo liceat prisca Latinitatis imaginem agnoscere.

PHIL. Jam tandem, Nicostrate, coepisti esse equus rerum estimator. Ita est, ut dicis: In Eruditissimo Opstratio est latine orationis nitor, disputatio subtilitas, densa & continens frequentatio divisionum, repetitionum mira varietas, & si qua recitanti calamo elabatur battologia, hæc ipsa habet in loco nefcio quid elegantiae.

NIC. Sic est. At verò dics abiēre non multi, ex quo me invisit durus alijs Aristarchus. Cumque sermo incidisset de Jansenismo, mirari se aiebat, quod plerique è Janseniana factione scriptores, Lovanienses præsentim, scriberent tam inultè tamque horridè. Cui ego continuò: quid censes de Opstratio?

PHIL. Quid responsi tulisti?

NIC. Lufcus, inquit, inter cæcos rex est.

PHIL. Absurda & temeraria responso.

NIC. Non nego.

PHIL. Sed quid tu illi dicebas?

NIC. Hominis temeritatem, & tam effusam judicandi libidinem castigam acriter. Sed noli te macerare, mihi Philadelphie. Nostri istud hominum ge-

genus; illorum virgulam censoriam ne Cicero quidem ipse effugiat.

PHIL. Quod istam temeritatem castigaveris, fecisti optimè, & habeo tibi grates nomine ipsius Opstratii, quem hic tibi valde obstrinxisti. Opstratius non tantum Lovanienses, sed scriptores etiam reliquos superat sedecim pe-  
dibus, quod de Oratore Pericle affirmabat olim Aristides. Testes appello supplices Theologos: etenim nisi scriptoris virtutes omnes in uno Opstratio summæ essent, numquam ei spartam credidissent tam nobilem.

NIC. Quam obsecro?

PHIL. Rerum, que geruntur, ignarum te probas, quod tibi meritò exprobant supplices. Opstratius communi omnium confensione delectus est ad concin-  
nandam supplicationem utramque. Quam quidem spartam coluit tanta cum laude, ut Collegii Pontificii Alumni dicant cum nunc posse æqualem astris gradì.

NIC. An istud certò tenes?

PHIL. Sic fert fama publica & satis constans quam ob rem stultus sim, ni  
credam. Verumtamen à quibusdam inauditi subministratam illi fuisse mate-  
riam ab Eximio Huygenio aliisque supplicantibus.

NIC. Hoc mihi fit perquam credibile.

PHIL. Ut ut est, non ideò minoris facientes est Opstratius: nam ista omnia tam concinno dispositi ordine: ipsius est latinitas, ipsius descriptio: multa etiam proprio marte invenit.

NIC. Intelligo. At cedo, estne igitur Opstratius apud Jansenianos id quod apud Confessionistas fuit Philippus Melancthon?

PHIL. Quare istud rogas?

NIC. Audies. Melancthon, quod usū & exercitatione scribendi reliquis antecelleret, à Lutherò traditi sunt Confessionis Ausburgensis articuli in ap-  
tum & venustum ordinem adducendi. Erat autem ista Confessio inscribenda Augustissimo Cæsari, sicut vestra supplicatio Illustrissimis ac Reverendissimis Belgii Episcopis. Adhaec dum omnia perlustro, deprehendo Melancthonem non aliter quam Opstratium fuisse διαγενόφελον, id est, amantem partitio-  
num: quippe quos viginti & unum articulos à Lutherò acceperat expoliendos, eos partitus est in octo & viginti.

PHIL. Non istac mihi placet comparatio, neque ( ut exstimo ) magnopere placebit Eruditissimo Opstratio.

NIC. Ergo prematur silentio, per me licet: nolo enim viro bono quidquam molestiae facessere. At verò aliud est, quod jam ex te quæram oportet.

PHIL. Quid illud est?

NIC. Si Opstratius utriusque supplicationis autor sit, cur in fronte nomen

non profitetur suum, quemadmodum facit contentionum nostrarum Compilator Victor Cancellati?

PHIL. Dicam, Nicostrate. Innocens Opstratius indignum in modum (ut scis) à Burgundo nostro, qui, ut habet Autor Notarum in Epistolam Eximii D. M. Steyartii pag. 94. omnia in sua Archidiacei permiscet, ejectus est è Mechliniensi Seminario, ubi tantà cum laude Theologiam veré orthodoxam tradiderat. Huc accedit, quòd theses, quibus ibidem 16 Februarii 1690. praesedit, infelicissimis flamnis, nè dicam injustissimis, ustulatae sint Bruxellis. Et quamquam id apud nostros laudi detur (quid enim laudabilius dici aut fingi potest, quam pro Jansenii nomine contumeliam pati) tamen apud Episcopos aliosque, quos nondum imbuīt Janseniana opinio, datur ignominia. Unde si nostra supplicatio præ se tulisset nomen, quod aliqui ob dictas rationes perperam putant infame, quam, quæso, vim vel autoritatem habuissent? Atque id causa fuisse existimo, Nicostrate, cur prudentissimus Opstratius hīc suum nomen celaverit.

NIC. O factum prudenter! sed, mi Philadelphie, velim mihi jam quoque explices, quo pacto Opstratius in supplicatione altera pag. 4. tam moleste ferre potuerit, quòd ego supplicantes appellaverim homines nescio quos. Quòd si supplicationem primam ita inscripsisset: *Supplicatio ad Illustriſimos ac Reverendissimos Archiepiscopos, quā juramentum in veritatem facti Janseniani deprecantur Eruditissimus Opstratius, Eximius Huygenius, Exim. Hennebellius, Exim. De Swaen, Lacman, De VVitte, Cuypers, Melis & quidquid in Belgio est Jansenistarum; factor, non potuisse dicere homines nescio quos, nisi voluisse vobis esse similis.* Jam verò cum quinam essent illi supplices Theologi, planè ignoraverim, non video, quid hīc in re dignum reprehensione admiserim.

PHIL. O Nicostrate, non tibi tam acris intelligendi vis est, quam putavi. Apud nos certissimum effatum est: *Peccatur in eo, quod vitari non potest, quod D. Opstratio ita placet, ut nullum materiale peccatum agnoscere videatur: nam in dictatis publicis quæst. 4. de peccatis cap. i. §. 2. Non videatur, inquit, distinctio peccati materialis à formalī niti ullo fundamento.* Et iterum ibidem: *Ipsa ratio persuadere videtur, quod materiale peccatum non distinguatur à formalī.* Dum te hīc reprehendit, hoc certissimum pronunciatum respexit.

NIC. Profecto recte advertisti.

PHIL. Præterea non ideo fortasse in ipso hujus supplicationis aditu tam durum vapulas, quòd supplicantes appellaveris homines nescio quos, sed quod statim subjunxeris: *Ex fraude & mendacio confutos.*

NIC. Quād hīc non à vero aberraverim, planum faciam postea. Quād hujus mei dicti veritas jam nunc quasi lumen aliquod in ipsa supplicationis præfatione eluet.

PHIL.

PHIL. Ubinam obsecro?

NIC. Pag. 4. ubi hæc habet: *His mis̄et fabulam ad invidiam compositam: in Collegio Pontificio celebratas esse jam pridem formulæ inferias consentiente & plaudente Eximio D. Gammare.*

PHIL. Hic minimè mentitur Opstratius.

NIC. An ergo tu, Philadelphie, me fecelliisti, qui hanc mihi narrasti tamquam veram historiam?

PHIL. Est historia longè verissima. Ne dubites, illam narrabo iterum. In Collegio Pontificio super mensam parentatum est jurandi formulæ. Voluē erat, Nicostrate, cernere diversa istorum Vespillonum studia: alii canebant nanias, alii inconditis clamoribus imitabantur Præficarum ejulatus, plurimi sinistrâ manu aversum orbem tamquam sepulcrâlem lapidem prementes, & dextrâ tenentes cyathum defunctæ Formulæ Manibus libabant.

NIC. Etiam intelligo fuisse Ganeonem aliquem spuriissimum qui cum mallet Pollinctoris partes agere, volebat tria vas a crassioris cerevisiae collari in triclinio, id est, in refectorio, ut non male Latinus Opstratius maluit loqui in exusta Thesi,

PHIL. Et illud verum est, Nicostrate. Et ille, quem tu Ganeonem immērto appellas magnam inter Nostros laudem indē adeptus est.

NIC. Quomodo igitur hæc negans non mentitur Opstratius?

NIC. An Opstratius uspiam hæc negat? Ad ipsius verba, obsecro, animum adverto: *mis̄et, inquit, fabulam.* Tō Fabula autem etiam si interdum res commentitia sit, tamen propriè est sermo & rumor populi, & res passim divulgata, licet vera sit. Unde ut Autores profanos prætermittam, S. Hieronymus cap. 13. commentariorum Susannæ historiam *fabulam* nuncupavit. Et alibi: *ne veteres, inquit, replicando historias longum faciam, brevem tibi fabulam referam, que infantæ mīa temporibus accidit.* Et Fortunatus Carm. ad Justinum Imperatorem dicit:

*Curit ad extremas Fidei pia Fabula gentes*

Fides certè res commentitia esse non potest, neque Susannæ historia, neque id quod infante Hieronymo, contigit. Sic etiam hanc vocem *fabula* accepit Opstratius. Atque id vel ex eo colligitur, quòd *fabulam* dicat ad invidiam compositam (nota *compositam*) non *fictam*. Usque adeò & ego & Opstratius hic à mendacio absimus.

NIC. Singularem illam vestram & reliquis Jansenistis inusitatam veracitatem laudo. Sed fare, si historiam illam non diffiteatur Opstratius, cur hic ejus mentionem facit? cur non præterit silentio, sicut multa alia, ad quæ nihil potest respondere?

PHIL.

PHIL. Ut tuam in interrogando petulantiam toti orbī patefaciat: sic enim pergit cum stomacho eādem pag. 4. Rogatque an non factum sit ipso ( Exim. Gummaro ) etiam non interfuerit Pater Abraham , alias Exim. D. Van Viane? An non etiam Clarissimus D. Van Espe , ut rurba reliqua tantis accenderetur exempli. Id quidem de talibus ac tantis viris interrogare , Nicostrate , summum scelus est & nullo exiāndum supplicio.

NIC. Ergo summo sese scelere alligavit Reverendus admodum D. Vivien Divi Petri Canonicus & Eximii D. Gummari Convictor , dum 9. Maii in Officina Fr. Novitii interrogavit D. Andream Vander Schuer , an disputationi illi , in qua D. Carolus de Bont tam scurriliter impugnavit Pontificis falli nesciī autoritatem , non interfuisset Exim. Gummarius quasi verò Eximius ille soleat esse ingens aliquod ad explodendum Pontificem incitamentum. Philadelphie , ea prima piacula sunt , Aut Opstratiū rationem disparem assignet. Sed quantum ego quidem conjecturā essecor , non hoc est , quod virum male habet.

PHIL. Quid itaque esse autumas?

NIC. Rogatum etiam oportebat , an funebre illud convivium non iniverit Eruditissimus Opstratiū , utpote qui cum aliis sub eodem tecto habitat. Quod quia casu nescio quo prætermis̄ , contemptum se putat , & nondum haberi à me inter Jansenianæ factionis Principes. Hinc illæ lacrymæ. Et si ut est Latinus , ita etiam Poëtaster Græcus , noctu diuque volutaret animo illud Theocritæum Carmen:

*Α'μεις δ' ὁύτε λόγῳ τινῷ ἀξιοι, οὐτὶ ἀριθμητοί.*

*Indigni numero , indigni sermone putamur.*

Quid censes , Philadelphie , Nonne hīc ulcus tango ? Eapropter mihi dictum Opstratiū etiam hodie accede , & nūcīa tristari me , quōd tam honosificam illius mentionem non fecerim. Certē si ardenter hominis caritatem novi , meæ oblivioni ignoscet facile.

PHIL. Vin etiam dicam illum magni abs te fieri?

NIC. Volo : est enim è Jansenitis primariis , immò primus ab Eximio Gummaro , & jam nūc plus in scribendo laboris exhaustus , quām per totum vitæ decursum Eximius van Viane , quem doleo jam despere sene-ctute , & esse quasi

*Ερώτων ἀχδος ἀργης.  
Telluris inutile pondus.*

PHIL. O Nicostrate , sine te amplectar nomine Opstratiū : Jam certe modestiæ Christianæ limites & cancellos non egredēris; quare juvat conten-tiones nostras jam longo intervallo intermissas repetere. Fidei in do futurum , ut

ut die crastinā te convenientiam , & omnia tua argumenta à nostris everēsā esse de-monstreā.

NIC. Accipio. Sed necessariorum aliquis cras Theologix placita defen-dit. Mihi autē otium non erit , quām è facro illo Lycœ rediero.

PHIL. Ergo illic te inveniam: nam & ego perhumaniter invitatus sum.

## CONTENTIO II.

*An ex positis nuper à Nicostrato principiis sequatur quæstio-nem de propositionis aut libri sensu facti esse.*

NICOSTRATUS. An Amico nostro de prospero disputationis successu fui-sti gratulatus?

PHILADELPHUS. Fui.

NIC. Certē positiones illas Theologicas sustinuit perbellè.

PHIL. Nil mirum , Nicostrate : soli enim Monachi illum oppugnarunt. Quod si quis è nostris oppugnascat eam positionem , in qua querere quis sit libri sensus , quæstionem juris esse affirmat , hæsisset pisce mutior.

NIC. An tibi , Philadelphie , tam vilis est de Amico nostro existimatio? Acris ingenii vir est. Et S. Augustinus lib. I. contra Cresconium cap. 34. ait nec eloquentiam quamlibet , nec dilectionem quamlibet metuendam esse Affertoribus veritatis , quominus Affortores falsitatis , disputando cum eis , & eos refellendo convincant.

PHIL. Non hīc à vobis veritatem afferi , præclarè ostendunt supplices Theo-logi in supplicatione altera pag. 19. sic enim te tuis ipsius principiis xpugnant : Illa facti non juris quæstio est , quā ex hominum ferè testimoniis solvenda est: atqui quæstio , quā quis sit libri sensus queritur , ex hominum ferè te-stimoniis solvenda est : ergo quæstio , quā quis sit libri sensus , queritur , facti , non juris quæstio est.

NIC. Nihil isthac assumptione , Philadelphie , potest esse falsius : etenim (ut ego tibi nuper demonstravi , & nunc tandem etiam admittunt illi sup-plices) quæstio ea solvi non potest , nisi ex eo jure iisque legibus , quibus humanum sermone in adstrinxit hominum societas , hoc est , ex communi vocum significatione.

PHIL. Ita se res habet Nicostrate ; ut jam fatentur ipsi supplicants , ex communi vocum significatione ista decidenda quæstio est.

NIC. Infero Philadelphie ; ergo agitata quæstio juris est , non facti : nam significationem vocum genus aliquod juris esse mihi concedunt supplicants

pag. 18. ubi affirmant tot verbis (quot nuper adhibui) opus non esse, ut probetur esse jus quoddam, & quasdam leges, ex quibus de sensu alicujus propositionis vel libri judicandum est. Inde ego sic argumentor: Quæstio omnis, quæ ex jure deciditur, juris quæstio est: atqui secundum ipsos supplicantibus Theologos quæstio, quæ de libri sensu queritur, ex jure deciditur: ergo quæstio, quæ de libri sensu queritur quæstio juris est.

PHIL. Ego pariter sic argumentor: Quæstio omnis, quæ ex testimonii hominum deciditur, facti quæstio est: atqui secundum te quæstio, quæ de libri sensu queritur, ex testimonii hominum deciditur: ergo quæstio, quæ de libri sensu queritur, facti quæstio est.

NIC. Assumptionem nego iterum.

PHIL. Igitur cedo mihi, obsecro, nonne jus illud seu significatio & vis vocum Grammaticorum regulis continet?

NIC. Cui eâ de re dubitatio umquam incidit?

PHIL. Benè habet Jam ego te cum Opstratio ceterisque supplicantibus Theologis interrogo: Quid aliud sunt, Nicostrate, regula Grammaticorum, quædam hominum testimonia, quibus voces aut constructiones in his ipsis re adjunctis, hanc illam significationem habere testantur? quid aliud Lexica, quæ variorum Autorum testimonia adducunt, qui significationes vocum, & constructionum sensus autoritate suâ confirmant? quid ipsa consuetudo, quæ vocum significationem approbat, est aliud, quæ multorum simul hominum testimonium, qui de institutione vel usu vocum testantur. Atqui quæ jam à nobis tractatur quæstio, ex iis regulis dirimitur, ergo dirimitur ex hominum testimoniis.

NIC. Hic magis sibi placent supplices, quæam Peters in machæra: tamen nullum id argumentum est: nam hoc dato, neque in Civili Jure, neque in Canonico ullâ controversia facti dicenda erit. An hoc admittent supplices?

PHIL. Nequaquam. Sed velim mihi demonstrares hoc inde consecutarium esse.

NIC. Nil fecero facilius: sic enim te vicissim aggredior: quid aliud sunt, Philadelphie, Jurisconsultorum regulae, quædam hominum testimonia, quibus hoc aut illud in certis adjunctis licitum aut illicitum, imperatum aut vetitum esse testantur? Quid aliud Justiniani Codices, quæ variorum adducunt testimonia Imperatorum, qui quid in suo quisque Imperio servatum velint suâ autoritate declarant? Quid ipsæ locorum consuetudines aliud sunt quæ hominum testimonia multorum, qui aliquid jam in communi omnium usu esse confirmant? Quid aliud declarationes Cardinalium? Quid aliud Conciliorum Canones? Quid Constitutiones Pontificum? quid Decreta? Quid Sanctiones? Quid Responsa? Quid cetera omnia? Atqui omnis

nisi in Jure utroque controversia ex iis dirimitur: ergo omnis in Jure utroque controversia ex hominum dirimitur testimoniis. Atque adeò quod tibi à me demonstrari postulaveras, omnis & in Canonico, & in Civili Jure controversia facti appellanda est, non juris, si quid valeat supplicantum argumentatio. Quò jam confugies, Philadelphie? Rectè demonstravi, an fecis? Responde aliquid.

PHIL. Quid respondeam? Vcl hinc patet, quæam ineptè etiam hujusmodi questiones juris esse dicantur.

NIC. Ergo inepti sunt Jurisperiti omnes, qui ita loquuntur. Ergo, quod numquam dabunt supplices, etiam questiones juris divini revelati, sive quæ ex litteris sacris solvendæ sunt, ineptè à vobis quæstiones juris appellantur. Secundum illa vestra principia quæstiones facti appellandæ essent potius: nam ut non dicam litteras sacras nihil esse nisi loquentis Dei testimonia, nonne ut controversia aliqua ex aliquo libro, putà Marci Evangelio, certò quoad nos & sine ulla errati suspicione decidatur, oportet librum illum ab Ecclesia declaratum esse Canonicum?

PHIL. Ita prorsus.

NIC. Quid sunt, Philadelphie, illæ declarationes Ecclesiæ, nisi quedam hominum testimonia, quibus cum librum Ιεζούσα, sive à Deo inspiratum esse testantur.

PHIL. Nihil.

NIC. Sic rectè. Pace tuâ interrogaciones prosequar. Potestne ex jure divino revelato, sive divinis eloquii quidpiam decidi non perceptâ vi, & significatione verborum, quibus jus illud contexitur?

PHIL. Nequaquam.

NIC. Nonne vis illa & significatio verborum pendet ab institutione & communi hominum consuetudine, seu, ut malunt loqui supplices, ex regulis Grammaticorum?

PHIL. Hoc est luce clarius.

NIC. Illa Institutio, illa Consuetudo, illæ Grammaticorum Regulae secundum tuos supplices nihil sunt aliud, nisi quædam hominum testimonia, ut antè vidimus.

PHIL. Assentior. Quid tum?

NIC. Jam, ni coecis sis, vides Philadelphie, ex quæam vario & multiplici hominum testimonio pendeant quæstiones etiam ille, quas vos juris divino esse dicitis. Igitur si supplices illi Jansenista quæstionem, quæ de sensu propositionis aut libri instituitur, facti esse velint propterea, quod quædam hominum testimonia omnino non absint, etiam facti quæstio erit ea, quæ ex jure divino revelato deciditur.

PHIL.

PHIL. Minutis tuis interrogatiunculis Catoni olim ita usitatis , quod proposueras , effecisti.

NIC. Ergo jam vides illud supplicum Theologorum argumentum παραλογίειν , cum ex eo tamquam ex fonte consecutarum profluat tam absurdum , minimeque à vobis admittendum.

PHIL. Video quidem , sed ubi παραλογίεις aut error lateat , nondum video. Quis demissus per machinam Deus hunc nodum dissolvat ?

NIC. Ausulta , Philadelphie , & duo esse testimoniorum genera observa. Alia sunt testimonia tantum , qualia ad cædem aliaque id genus sc̄ lera probanda in judiciis adhibentur : alia testimonia & leges simul , cujusmodi testimonia sunt leges omnes & instituta , quibus Civitates , Provinciae , Regna , Republicæ tum sacrae , tum profanae temperantur. Quis enim est , qui non videat Regem E. C. dum legem condit , simul dare aliquod voluntatis sua testimonium. Hinc in libro Exodi illa legis Mosaicæ arca arca testimonii non raro vocatur. Hinc tabula legis ibidem dicuntur tabulae testimonii. Hinc vates Regius mandata Dei s̄p̄e appellat testimonia , da mihi intellectum , inquit , ut sciām testimonia tua. Custodiām testimonioris tui. In via testimoniorum tuorum delectatus sum. Adhæsi testimonii tuis , Domine. Exempla plura proferre nil opus est : nam in promptu sunt omnibus. Attamen quoniam ubique judicem deponscitis Augustinum , ille à me prateriri non potest.

PHIL. Quid ? hic tibi suffragatur Augustinus ?

NIC. Quām qui maximè. Audi illum. Haec verba Psal. 77. suscitavit testimonium in Jacob , & legem posuit in Israēl , ita expendit : Quod est suscitavit testimonium , hoc est legem posuit ..... lex & testimonium duo sunt nomina eius . . . . TESTIMONIUM , QUOD EST LEX .... TESTIMONIUM EST IN QUANTUM ALIQUID PROBAT , LEX AUTEM IN QUANTUM IUBET , CUM SIT UNA EADEMQUE RES. Ex quibus omnibus , qui tantum primoribus labris dialecticam degustavit , facile conjiciat voces istas testimonium & lex habere se ut magis & minus communes perinde atque voces animal & homo. Etenim omnis lex , quantum voluntatem Legislatoris testatam facit , est testimonium , sicut omnis homo , quantum vivit & sentit , animal est. At vero quemadmodum omne animal non est homo , sic nec omne testimonium lex est. Lex non est testimonium illud , quod ego E. C. de cuiuspiam in Principem conjuratio-ne dico , aut de patricidio , aut de sacrilegio ; aut de quovis scelere alio , illud enim testimonium nihil jubet. Idcirco per tale testimonium nullum jus constituitur , atque adeo quādā controvergia diripiuntur , non juris , sed facti merito appellantur.

PHIL. An ergo alia illa testimonia , quā simul leges sunt , jus aliquod constituant ?

NIC.

NIC. Omnidò , Philadelphie , quia ( uti jam dixi ) nihil sunt aliud , quām leges ipsæ. Neque aliâ de causâ testimonia appellantur , quām quia leges , sicut sine institutione , promulgatione aliisque factis hujusmodi esse non possunt , ita etiam non possunt non Legislatoris voluntatem testificari aut notam facere. Jus autem aliquod per leges constitui quis neget ? sed videbor fortasse longâ & continentि oratione rem velle involvere ; quapropter , Philadelphie , eam propositionem : Facti , non juris questio est , qua ex hominum ferè testimonii solvenda est , distinguam pressius magisque angustè ita ut fieri assolet in Scholastico pulvere. Facti , non juris questio est , qua ex hominum ferè solvenda est testimonii , quā sunt testimonia tantum : Assentior. Facti , non juris questio est , qua ex hominum ferè solvenda est testimonii , quā sunt testimonia & leges simul , hoc est quod pernego : lex enim in dirimendis controversiis non tamquam testimonium adhibetur : alioqui ( id quod ad miserit nemo ) Legislator testis dicendus esset ; sed tamquam recta agendorum ratio , ut Aquinas ille sanctus Thomas loquitur. Quid plura , Philadelphie ? hic infractus jacet supplicum Theologorum arics. Jam igitur canere triumphum desinant & vociferari , ut faciunt pag. 19. Id tibi certò , Nicostrate , persuasum habeas , questionem , quā quis sit libri sensus queritur , ex hominum ferè testimonii esse solvendam : adeoque non juris , sed facti questionem ex tuis ipsis principiis dici eportere.

PHIL. O Nicostrate , si tuam mentem tam planè ac diludicè explicuissest anteà , hoc te ariete pulsare non potuissent nostri , neque tam insolenteim canere victoriam.

NIC. Ah ! Philadelphie , noli insignem tuorum malevolentiam , & in allegandis Autoribus perfidiam plusquam punicam extenuare verbis. Sat planè & dilucidè me nuper explicui contentionem nostrā 2. pag. 14. Non enim ego tantum dixeram : Putasne , Philadelphie , questionem , quā quis sit libri sensus queritur , ex hominum ferè testimonii esse solvendam ? verū etiam ( id quod non sine singulari malevolentia prætermisere supplices ) adjunxeram : Putasne iis opus esse testimonii , quibus ad probandam cædem solet opus esse ? Hisce profectò verbis sat videor innuisse adhuc superesse aliud testimoniorum genus. Sed non his movemur : scio enim nihil vobis pōtius esse , nihil antiquius , quām Autorum locos ad fucum faciendum mūtulos exhibere & quasi decurtatos. Ut sileam Catholicos , rei hujusce mihi testis est Calvinista Jurius , testes sunt Heterodoxi alii , qui id vobis exprobirarunt non semel.

PHIL. Multa quidem , Nicostrate , in hanc sententiam attulisti & ingeniosè & eruditè. Sed quid ista omnia ad institutum faciunt ? nam ut ista omnia tantisper concedamus , nihil inde conculseris aliud ( quemadmodum pag. 18 recte

recte observant supplices) quam vocari questionem juris apud Jurisconsultos, non vero apud Theologos.

NIC. Apud quos, amabo, Theologos non vocatur juris ista questio, nisi apud illos, qui ut suum Ducem ac Principem tueantur, sanctiones Pontificum moliuntur eludere?

PHIL. Etiam apud alios multis.

NIC. Quod tam temerè & inconsideratè asseverasti id probare numquam poteris. Agedum, profer vel unum, Hoc ego à vobis peto & petit mecum Juris utriusque Oraculum & Jansenistarum terror Amplissimus D. Nicolaus du Bois. Quamquam quid opus est tam multis? Apud Jurisconsultos illa juris questio est; ergo etiam apud Theologos, nisi forte alia sit juris natura apud Theologos, apud Jurisperitos alia.

PHIL. Dum ita differis, ostendis te ne extremis quidem digitis supplicationem alteram attigisse. Pag. 18. sic habet: *Jurisconsulti dum jus nominant, jus suum positivum humanum, Civile, & Canonicum intelligunt*, non divinum illud, quo nos Theologi utimur.

NIC. An ergo Theologi solo jure divino utuntur? nullumne habent cum Canonicò & Civili jure commercium? Quid Theologi Janseniani faciant, non sat compertum habeo. Certè non mirarer magnoperè, si ab illis jus repudiaretur Canonicum, utpote quod Pontificum Constitutionibus & Responsis maximè ex parte contexitur, quodque dist. 19. cap. Nulli, monet tam accuratè, *nullias esse vel velle, vel posse transgredi Apostolica Sedis præcepta*: Non enim ea placent Theologis Jansenianà peste afflatis & iniquitatis filii. At placent Orthodoxis, placent obedientibus Ecclesiæ filii. Et dic mihi, Philadelphie, si jus Canonicum negligatur à Theologis, quibus ex fontibus ea haurient, quæ tractare ipsos oportet de contractibus, de simonia, de Beneficiis Ecclesiasticis, de horis Canoniceis, de Religione, de Sacramentis, de censuris, de irregularitatibus & aliis multis?

PHIL. Profectò ita est, Nicostrate, ut tu dicis. Jus Canonicum longè latèque funditur per totam Theogiam. Hoc ego numquam antè in animum induxeram.

NIC. Cum Canonicò Jure mirifice etiam consentit Jus Civile: nam multi Summi Pontifices Decreta sua penè ad verbum depropulsere ex legum ci-vilium monumentis, Justinianus Imperator hæreses exagitavit plerasque, Sacro-sanctum ipsius Triados mysterium libro suo inclusit. Si mihi fidem non habes, juris utriusque Doctorem D. Van Espen hanc super re consule. Et quamvis sit Gummariana factio assecla & fidei suspecta homo, id tamen negare non ausit, nisi forte magis, quam ipse Laderousius frontem fricuerit. Igitur, Phila-

Philadelphie, neque illud jus abjicere omnino potest Theologus. Unde Illusterrimus D. Fierlandt in R. P. Aegidii Gabrieles moralis doctrinæ reiterato examine affirmat *Sorores esse Jurisprudentiam & Theogiam, tamq; arcto inter se vinculo conjunctas*, ut altera ab altera sine gravi vulnere, si non certa pernicie, separari vix possit.

PHIL. Scd quorū hæc spectat tam prolixa oratio?

NIC. Quorū? ut intelligas, Philadelphie, quam nullo nitatur fundamento illud tuorum Magistrorum effugium: *Jurisconsulti, cum jus nominant, jus suum positivum humanum, Civile & Canonicum intelligunt*; quasi vero jus illud sit ita proprium Jurisconsultorum, ut de illo laborare Theologi non debeant. Quasi vero apud utrosque non sit eadem juris natura.

PHIL. Ex multis paleis, Nicostrate, parum fructus colligis. Esto sanè istam questionem juris esse etiam apud Theologos, quid inde concludes? Certe supplices mei Magistri pag. 18. aiunt: *Non aliud inferre poterat Nicostratus, quam questionem, quā quis libri sensus sit queritur, esse questionem Juris humani positivi*.

NIC. Miror hoc à Magistris tuis potuisse dici. An amplius aliquid ego inferre studui? Usipiamne ego, Philadelphie, affirmavi questionem illam esse Juris divini?

PHIL. Ut dicam id quod res est, mihi saltem hoc non liquet: nam simul in hunc locum incidram, contentionem nostram secundam adii, & nil tale à te dictum reperio.

NIC. Hic rursus apparet vestrorum hominum malevolentia & in expónenda Autorum mente mala fides. Etenim dum dicunt: *Non aliud inferre poterat Nicostratus, quam questionem, quā quis libri sensus sit queritur, esse questionem Juris humani positivi*, nonne amplius aliquid à me illatum esse tacite mentionuntur? Et tamen illi homines queritantur tam miserabiliter, quia illos nuper dixi *ex fraude & mendacio consutus*.

PHIL. Mittamus iurgia. Rem ipsam agamus. Tu, Nicostrate, nuper contentione 2. pag. 13. argumentabare hunc in modum: *Ecclesia, vel solus Pontifex falli non potest in questionibus Juris decidendis: atqui quis sit sensus scriptiorum aut libri est questionis juris: ergo Ecclesia vel solus Pontifex falli non potest in decidendo sensu scriptiorum aut libri*.

NIC. Ita est, adhuc memini.

PHIL. Jam vero si ea tantum sit juris humani questio, ut nunc ipse admittas, necesse est tota illa argumentatio corrut, quia questiones juris humani non decidit Pontifex sine errandi discrimine. Unde non immerito nostri te castigant pag. 19. his verbis: *Erras, Nicostrate, à nobis dici; Ecclesiam vel*

vel Pontificem in decidendis istiusmodi questionibus juris omni·carere errandi periculo : siquidem existimamus absq; summa in Sedem Apostolicam injuria , maximoq; tum Catholicorum , tum Hereticorum scandalum id dici non posse .

NIC. Temeraria est illa & impia supplicantium opinio : nolo enim jam graviore verbo uti. Id autem Orthodoxis dici & posse & debere videbis oꝝv̄t̄p̄w̄s τ& ἡγεμών, hoc est , vel lynceo acutius , si me audire non graveris.

PHIL. An ergo certum est diem totum disputando ducere. Jam nunc audit a est hora septima.

NIC. Horologium meum consulam. Profectò verum prædicas. Itaque die crastinâ alter alterum revisemus.

PHIL. Ego quidem ruri mallem , quam domi cras tecum contendere : juvat enim æra ducere libcriorem. Novi , ubi amœnus sit & arbitris semper locus.

NIC. Sequare , Philadelphie , quocumque me duxeris.

### C O N T E N T I O III.

*An Ecclesiam vel Pontificem errare posse in assequendo scripti alicujus sensu recte concludant supplices ex eo , quod ea Juris humani questio sit.*

PHILADELPHUS. Nonne , sicut dixeram , amœnus hic est locus ? En , Ni- costrate , proceritates arborum , en directos in quincuncem ordines , & humum subactam atque puram. In medio salit fons & susurro aures recreans , & argenteo aquarum colore oculos. Denique nihil hic ad amœnitatem & delectationem decessit vides.

NICOSTRATUS. Ita est , Philadelphie. Priscorum hominum superstitione huic loco Numen aliquod inesse crederet , putat Ammonis aut Dodonæi Jovis Oraculum.

PHIL. Summa fuit istorum hominum in rebus hujuscemodi superstitione ; sed tu , Nicostrate ; ab ea propè abes , quando Ecclesiam aut Summum Pontificem credis in definiendo libri alicujus sensu fundere falli nescia oracula.

NIC. Usque adeone tibi placet Francisci Mansæu & G. Prioris S. Martini hanc super re sententiā? Sed illi pœnas jam pridem dederunt Didaco de Oropæga. Quarē illos mittam , & , id quod facturum me heri receperam , argumentis omni luce clarioribus ostendam Ecclesiam vel Pontificem in decidendis hujusmodi juris humani questionibus nulli errato esse obnoxium.

PHIL.

PHIL. Hoc tu numquam poteris , licet omnes ingenii nervos intendas : Quid enim , inquit pag. 19. & 20. supplices , ineptius , quam Ecclesiam vel Pontificem infallibilem facere in definiendis questionibus Grammaticorum de significatione vocum & interpretatione librorum?

NIC. Periclitabor tamen. Ante omnia necesse est pauca præmoneam. Dum Pontificem aio in decidendis juris humani controversiis errare non posse , non ita intelligas velim , tamquam si mihi de quibuslibet juris humani controversiis sermo esset : novi enim quid lib. 7. cap. 14. hanc super materia apud supplicantes differat Pallavicinus Sfortia : *Si autoritas , inquit , immoxia intelligitur in fidei morumque decisionibus , ea sanè Romano Pontifici tribuitur , non à solis Canonum periti , sed à Theologis graviori pleniorq; concordia . . . . in aliis rebus , quæ ad rem gestam , vel ad Jus HUMANUM pertinent , quinam sunt inter Canonum Interpretes negantes errori Pontificem subjacere ?*

PHIL. Porrigis mihi ipse gladium , quo te jugulem. Potestne causa nostra ipsa clariorem pro se vocem mittere? Nota illa verba : *Quæ ad Jus HUMANUM pertinent.*

NIC. Quæso , Philadelphie , ne me interpellès. Non dum dixi omnia , quæ paraveram. Itaque attende iam iterum , & melius præcipitem linguam compelce. Duplex est juris humani questio , alia in Juris Divini questione involvitur ; alia non item , quam appellare liceat juris merè humani. Sic juris merè humani questio est illa quæ instituitur de sensu testamentorum , pactorum , contractuum , donationum &c. etenim , ut patet , in nulla divini juris questione involvitur. De hac posteriore agit Pallavicinus , dum dicit Pontificem errori obnoxium : Ego verò dum eundem errori obnoxium nego , de priore ago. En tibi gladium , quo me jugulandum putavera.

PHIL.. Commentitia est ista partitio , & ad Eximios meos Dominos ac Magistros eludendos excogitata.

NIC. Non est enim vero. Recole ea , quæ nuper agitavimus contentionem nostra 2. pag. 14. ubi ostendi sat fusè questioinem , quâ de libri sensu queritur , è duabus questionibus concrescere : alterâ qua queritur quis sit libri sensus , alterâ quâ queritur qualis sit , hereticusne , an orthodoxus , & divino juri divinisque eloquii consentiens. Priorem illam esse questionem juris humani non nego : non est tamen juris merè humani , quippe quæ in posteriore illa Juris divini questione involvitur , & sine qua posterior illa esse aut solvi non potest.

PHIL. An ergo posterior illa questio , quâ queritur qualis sit libri alicujus sensus hereticusne , an orthodoxus , ad Jus divinum pertinet?

NIC. Hoc nuper tu ipse , Philadelphie , ultro dixisti. Si ausis , istud à te dictum jam nega secundum regulam primam Juris Jansenistici. Agedum ,

E

ede

ede facinus & Jansenistâ & Ladersousio non indignum. Si adhuc tibi religio est, Hennebellum in consilium adhibe.

PHIL. Id ego, Nicostrate, numquam egero. Ladersousii exitum perhorresco. Jam in ore est omni populo & calumniator habetur publicus, neque ipsum quidquam juvant tot nostrorum hominum patrocinia. Quam ob rem illa omnia ita esse ingenuè confiteor.

NIC. An etiam partitionem istam amplectaris tamquam è re natam minime commentitiam?

PHIL. Amplector, Nicostrate, & lubens quidem. Sed quomodo tu inde probare jam poteris Pontificem falli non posse in illa Juris humani quæstione, que in quæstione juris divini involvitur & implicatur?

NIC. Hoc modo, Philadelphe, ego argumentor: Pontifex, dum declarat qualis sit libri sensus, in nullum erroris discrimen adducitur; ergo nec in erroris discrimen adducitur, dum quis sit ille sensus, declarat. Ad propositionem istam quid respondeas?

PHIL. Nostri omnes istam fatebuntur esse longè verissimam. Alioqui dixerent sibi religioni, 5. famosas execrari tam promptè. Sed ad conclusionem quod attinet, ea ridicula est, ne dicam stulta; quasi verò non sit hic duplex quæstio ex diversis principiis dirimenda. Eapropter ego te, Nicostrate vicissim sic impugno: Labi potest Pontifex in Juris humani quæstione, quando in quæstione juris divini non involvitur; ergo etiam quando involvitur.

NIC. Äque ac tu Philadelphe, consecutionem istam nego. Neque sine justa causa: nam etiamsi hic quæstio duplex sit, tamen altera in altera ita implicatur, ut divini juris quæstio sine quæstione juris humani decidi haud queat. Quid enim? An tu, Philadelphe, potes de hac mea argumentatione ferre sententiam, seu dicere qualis sit, exactâne ad normam dialecticas, an secus, nisi argumentationis sensum asscutus fueris? Potesne tu dicere, qualis sit enunciatio aliqua, verane an falsa, nisi sensum, qui enunciationis verbis subjicitur, plane percepis?

PHIL. Nequaquam. Et qui secus dixerit, naviget Anticyras: quid enim stultius, Nicostrate? quid amentius? quid magis ab omni ratione alienum, quam dicere, me E. C. linguae Hybernæ ignarum posse ferre sententiam de propositione Hybernis vocibus contextâ.

NIC. Igitur neque Pontifex de propositione aliqua aut libro pronunciare sententiam potest, seu dicere qualis sit propositionis aut libri sensus, Catholicus an hereticus, nisi asscutus fuerit quis sit ille sensus qui propositionis verbis aut libri subjicitur.

PHIL. Verum dicens.

NIC.

NIC. Atque idcirco Pontifex & Concilia, antequam librum aliquem aliquam propositionem tamquam orthodoxam probant, aut reprobant tamquam cacodoxam, solent discutere, quis sensus quæve sententia verbis libri aut propositionis subjiciatur. Exemplo erimus contenti uno: in Chalcedonensi Synodo sub Leone I actione 6. non ante à Patribus clamatum est: *Huic fidei convenit omnes consentire*, quam per Primicerium Notariorum lectum esset symbolum.

PHIL. Id solenne servarunt Synodi omnes. Sed an inde, Nicostrate, concludi potest Pontificem aut Ecclesiam in istiusmodi sensu asscuerendo labi non posse?

NIC. Potest. Idque ego tibi ostendam argumentis evidentissimis, modo mihi assentiaris id quod tui non negant, Pontificem in juris divini dirimenda quæstione, quâ queritur qualis sit libri sensus, errare non posse. Igitur sic arguo: Pontifex (ut jam probatum est) non potest absolute definire, qualis sit libri aut propositionis sensus, nisi absolute asscutus fuerit quis sit ille sensus: ergo nec definire potest infallibiliter, qualis sit sensus libri alicujus aut propositionis, nisi infallibiliter asscutus fuerit, quis sit ille sensus. Quod quo clariss perspicias, illustrabo exemplis: verae sunt hæ conclusiuncule: nisi habeam linguam non possum loqui; ergo nisi expeditam linguam habeam & volubilem, expedite & volubiliter loqui non possum. Nisi habeam tibiam non possum incedere; ergo nisi tibiam rectam habeam, incedere non possum rectè. Nisi habeam auditum, audire non possum; ergo nisi acutum habeam auditum, acutum audire non possum. Non possum vestiri, nisi habeam vestem; ergo splendide vestiri non possum, nisi vestem habeam splendidam. Non possum loqui, nisi adhibeam verba; ergo latine loqui non possum, nisi latina verba adhibeam. Sunt sexcentæ aliae hujusmodi argumentationes, quas brevitatis studio prætereo, neque (ut ego quidem existimo) eas tu à me referri postulas. Etenim satis cernis, Philadelphe, nihil hisce conclusionibus dici aut fingi posse verius.

PHIL. Id ita mihi quidem videtur: nam ut dialecticè & minus politè meam mentem explanem: sicuti sese habet verba adhibere simpliciter ad loqui simpliciter, ita etiam sese habet latina verba adhibere ad latine loqui: Atqui nisi adhibeam verba simpliciter, simpliciter loqui non possum: Ergo nisi latina verba adhibeam, non possum latine loqui. Atque istud idem de aliis abs te allatis exemplis dicendum censeo.

NIC. An non idem, Philadelphe, dicendum censes etiam de illo entymemate, ad quod stabilendum hæc exempla protuli? Mihi quidem videatur ubique esse par ratio. Audi obsecro. Queamadmodum sese habet ass- qui

qui simpliciter quis sit sensus ad definire simpliciter qualis sit sensus, ita se habet assequi infallibiliter quis sit sensus ad definire infallibiliter qualis sit sensus: Atqui Pontifex definire simpliciter non potest, qualis sit sensus, nisi simpliciter assecutus fuerit quis sit sensus: Ergo Pontifex qualis sit sensus, infallibiliter definire non potest, nisi infallibiliter assecutus fuerit, quis sit sensus. Tam similes sunt hæc omnes ratiocinationes, quam similia sunt & ova ovorum & apes apum.

PHIL. Ego certè non invenio, quid respondeam; sed supplicantes nostri certo certius ostendent discrimen aliquod.

NIC. Ut hoc ostendant, sæpe cædant pluteos, caput scabent & unguis mordebunt, sed frustra. Usque adeo nihil interest inter eas ratiocinationes. Quâ de causa mihi fas sit ita concludere: si Deus Pontifici vel Ecclesiæ autoritatem concesserit errare nesciam in quæstione juris divini dirimenda, ut vos ipsi admittitis, consequens est ut eidem non potuerit relinquere erroris periculum de quæstione juris humani, quæ in divini juris quæstione involvitur, & sine qua nullo pacto decidi potest. Igitur quod tota nostra spectat contentio, ratum illud maneat ac fixum, Pontificem & Ecclesiam semper præfens habere Spiritus S. Numen atque auxilium, ne à sensu libri, qui in controversiam venit, uspiam aberret.

PHIL. Nulla hæc mihi, Nicostrate, videtur esse consecutio: voluit Deus Ecclesiæ suæ autoritatem concedere nulli errato obnoxiam in juris divini controversiis decidendis: ergo etiam in controversiis juris humani.

NIC. Hic iterum, Philadelphie, Magistrorum tuorum imitaris consuetudinem. Ut vitiosa videatur argumentatio, prætermittis ea, in quibus robur omne ac vis constituitur. Nonne ego addideram, in iis juris humani quæstionibus, quæ in quæstionibus juris divini necessariò involvuntur, & sine quibus illæ decidi non queunt. Quibus additis, legitima consecutio est. Quæro enim ego ex te, Philadelphie, dum Deus hominem condidit, potuisse non condere animal?

PHIL. Non profectò.

NIC. Quidni?

PHIL. Quia animal in homine involvitur, & homo nisi sit animal, homo esse non potest.

NIC. Atqui etiam (ut ante demonstravi) quæstio juris humani, quâ queritur quis sit libri sensus, involvitur in quæstione juris divini; quâ queritur qualis sit libri sensus, & posterior illa sine priore esse aut decidi nequaquam potest: Ergo si Deus Pontifici aut Ecclesiæ autoritatem concesserit in altera falli nesciam, necesse est eandem concesserit etiam in altera. Te possem etiam

etiam adoriri hoc pacto. Deus dum vult finem, vult etiam necessaria ad finem illum consequendum adjumenta. De ista propositione, Philadelphie, quid censes?

PHIL. Vera est. Alioqui Deus vellet & non vellet, quod in hominem cadere non potest, nedum in Deum.

NIC. Postremum istud forte in dubium vocabit scepticus ille Pater Gabrielis. Sed non est, cur nos moretur: quam ob rem sic infero: ergo si Deus ab Ecclesia sua omne in quæstione juris divini errandi periculum removere voluerit, adjumentum adhibuit ad id consequendum necessarium. Jam assumo: atqui ad id consequendum necessarium adjumentum est ab Ecclesia omne removere periculum errandi etiam in quæstione illa alia, quemadmodum ante sat clarè distincteque ostendi: Ergo. Vides, Philadelphie, quid inde sit consequens.

PHIL. Me obtundis contortis tuis & aculeatis sophismatis. Conferamus nos jam domum in hac viridi & opaca ripa inambulantes.

NIC. Per me licet. Sed inter vias consideremus, Philadelphie, quanto perè à veritate aberrent supplices tri Theologi, ubi aiunt: *Existimamus absque summa in Sædem Apostolicam injuria, maximoque tum Catholicorum, tum Hæreticorum scandalo dici non posse, Ecclesiam vel Pontificem in decidendis istiusmodi quæstionibus iuris humani omni carere errandi periculo.*

PHIL. Ut supplices decet, hic loquuntur quam possunt modestissime: etenim si Magistrorum partes agerent, & Discipulos instituerent de pulpite, liberè docerent cum D. Francisco Manseau id dici non posse sine furore, sine rabie, sine impietate, sine heresi & idolatria.

NIC. Quid hoc est, Philadelphie? Numquam in te tam effrenatus fuit, & præceps furor. Quis te Jansenianus ἐνθυσιασμὸς subito abripit? Sed bene habet. Quoniam tu me hærefois insimulas, ego te hærefois clarissime convincam. Dux mihi & Autor sit Aquinas ille Thomas.

PHIL. Quod in illo præsidium habes? Audiamus.

NIC. Sanctius ille Doctor 2. 2. quæst. II. a. 2. O: hæresim esse ait, quando aliquis habet falsam opinionem circa ea, quæ ad fidem pertinent: ad quam aliquid pertinet dupliciter . . . . sive modo directè & principaliter, sicut articuli fidei. Alter modo indirectè & secundario, sicut ea, ex quibus sequitur corruptio alicujus articuli. Hæcne Philadelphie, percipis sat claram.

PHIL. Percipio. Tu perge porro; & quidquid potes, inde conclude.

NIC. Oportet aliquid ante assumam. Atqui si Ecclesiam in asseundo quis libri sensus sit ulli errato obnoxiam statuas, sequitur corruptio alicujus articuli.

PHIL. Cujus?

NIC. Hujus: Ecclesia in definiendis juris divini questionibus nulli errori obnoxia est. Nam, ut antè evici, questiones illæ juris divini sine errandi periculo dirimi non possunt, nisi etiam sine errandi periculo dirimantur questiones juris humani, quæ in juris divini questionibus implicantur. Ergo si Aquinatis iudicio standum est, de haeresi postulari potest ille, qui Ecclesiam in assequendo libri sensu errare posse affirmat.

PHIL. Quid mihi cum D. Thoma? Opstratius in libello jam recens edito, cui *Theologus Christianus* nomen fecit.

NIC. Quidni *Theologus Catholicus*?

PHIL. Quid me iterum interpellas? Opstratius, inquam, in isto libello S. Theologiae Tironem instituens pag. 100. Ita insit: *Multorum utilitati non satis accommodatus est S. Thomas.*

NIC. Quid? Hæc Thomistæ audiunt, & adhuc inertes cessant calami? Ubi mordax stylus? Ubi censurarum minæ? Ubi in eliciendis vaticanis fulminibus toties ostentata autoritas? O si Seotista aliquis, aut Molinista, aut Eremita Augustinianus ista diceret, quantæ excitarentur Tragedia! Multò melius profectò Eximus Pater ac Magister Collins styli sui aciem à R. P. Isaaco de Bruyn in Opstratum convertislet. Ad me quod attinet, S. Thomam impensè veneror, S. Thomam nonquam de manibus depono, & singula ipsius verba singula puto oracula. Sed cedo, Philadelphie, quos librōs Christiano Theologo Opstratius commendat?

PHIL. Singulis penè materiis singulos libros assignat. *Pro materia de Pénitentia* ( inquit ibidem pag. 97. ) legantur libri de Frequenti Communione, Methodus remittendi & retenendi peccata, de ignorantia & opinione probabili vide *Theses Lovaniensem*; *de caritate & referendis actibus in Deum legé eadem Theses*, &c.

NIC. Itane verò? An ergo nescit Opstratius Gummariam illam Methodum à Toletana inquisitione damnatam? Libro de Frequenti Communione prater alias damnatas propositiones, quæ memorantur in libello *Parallel des propositions de Mr. Artaud avec celles que l'Eglise a condamnées* continentur etiam hæc ab Innocentio X tamquam heretica proscripta: S. Petrus & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ principes, qui unicuique efficiunt. Præterea quas Lovaniensem Theses Opstratius placuisse commendat?

PHIL. Gummarianas, quantum ego quidem existimo, illæ enim maximo sunt interpretatio obviæ, ecclorū bipartitio: otioꝝ q[uod] q[uod] n[on] p[ot]est

NIC. Igitur commendat etiam fulminatum *Gummari Compendium*: quid enim *compendium* illud est nisi *Gummariæ Theses*? Vide, Philadelphie, quam pestilentes libros diu Thomæ anteponat Opstratius.

PHIL.

PHIL. An hos libros anteponit D. Thomæ? Quomodo hoc ostendes?

NIC. Hoc nuper tu ipse dixisti: tamen ne quod à me tibi desideretur officium, hoc sic ostendo: Ait *multorum utilitati non satis accommodatum esse S. Thomam*, & memoratos illos libros omnibus promiscue commendat. Hoc autem quid aliud est, nisi libros illos Divo Thomæ anteponere? Jam iterum, Philadelphie, conticescis. Quero igitur præterea, nonne memorati illi libri similcs sunt Paulo Irenæo ultricibus flammis in Gallia exusto?

PHIL. Non propterea minoris faciendus est Irenæus: etenim doctissimum quodque pro Catholica fide opusculum ab Hereticis facilimè exuritur.

NIC. Non istud est, quod quero. Dic mihi, an Paulo Irenæo similes non sint libri illi, quos præ D. Thoma commendat Opstratius.

PHIL. Sunt.

NIC. Ergo nuper Content. nostra 2 pag. 16. ubi ego te interrogabam, an tibi in Bibliotheca esset Paulus Irenæus; verissimè respondisti: *Christiano Theologo hujusmodi libri præ D. Thoma commendatur ab Eruditissimo D. Opstratio.*

PHIL. Quis dubitat? Non enim est mentiri meum.

NIC. Tamen supplices pag. 4. in Præfatione muliebriter lamentantur hic impactam esse Eruditissimo Opstratio calumniam.

PHIL. Fateor. Humanum aliquid mihi hinc passi videtur supplices.

NIC. Mihi verò videntur mentiri splendidissimè: etenim ubi verum crimen objicitur, ibi calumnia esse non potest. Insuper an tu, Philadelphie, ullibi dixisti Paulum Irenæum ipsum præ D. Thoma commendari ab Opstratio?

PHIL. Minimè: tantum enim dixi *hujusmodi libros*, seu libros Paulo Irenæo similes ita commendari.

NIC. Supplices citatâ jam paginâ 4 consule. Dictum esse affirmant, ab Opstratio Paulum Irenæum præ D. Thoma commendari Christiano Theologo. En iterum in eadem propositio[n]e Σερουδίανος seu calidum mendacium. Quid ipsis hominibus facias? Patet igitur, quām non immerito nuper in illos jecerim hunc sibyllæ versiculum, quem nondum videntut posse caritatis igne concoquere:

Τεῦσα, ἀπισόκοποι, κακοπράγμονες, δύδεν ἀληθεῖς.

Absque fide, scelerati & numquam vera loquentes.

Certè si Jacobus Magnæ Britannæ Rex in hæc tempora incidisset, de Jansenianis diceret id quod de Puritanis suis dixit in libro illo, quem inscripti Basiliæ dōcebat: *Testor coram Deo Opt. Max. numquam te experitum plura & ceteriora mendacia, quām apud hos fanaticos Puritanorum spiritus. Verum huc longius, quām constitueram, digressi sumus. Rédeamus ad rem. Quidquid hodie*

hodie ultro citroque disceptavimus, ad hanc suminam referri volo: si Ecclesia sine ullo errandi discrimine judicare possit, qualis sit scripti alicujus sensus haereticus ne an orthodoxus; etiam quis sit ille sensus, sine ullo errandi discrimine judicare potest: Atqui (ut vos ipsi dicitis). Ecclesia sine ullo errandi discrimine judicare potest qualis sit scripti alicujus sensus, haereticus ne an orthodoxus: Ergo etiam quis sit ille sensus, sine ullo errandi discrimine judicare potest. Et secus dicere haeresim esse concedis si standum sit iudicio S. Thomae. Quare dicant nunc supplices quodcumque voluerint, plus apud me ponderis habebit Angelici Doctoris autoritas. Mea saltem utilitati satis accommodatus est.

PHIL. Erratum meum agnosco. Id ex D. Thomae sequi principiis non oportebat admittere. Itaque cano palinodiam. Neque est, cur hoc me facere Discipulum pudeat, quia praeiverunt Magistri mei: etenim quam tot labentibus annis quaestione facti esse pugnarunt, nunc tandem eam quaestioneum juris humani esse confitentur.

NIC. Ergo vel causâ cecidisse te fatere, vel ostende id ex D. Thoma non posse concludi.

PHIL. Ah! Nicostrate, tam diutinâ contentione hebecit ingenii acies; quiescendo acuetur in crastinum. Inveniam aliquid, ad quod tu ne hiscere quidem audeas. Eapropter vide ut me probè armatus accedas: vale.

## CONTENTIO IV.

*An revelatum sit in Ecclesiam vel Pontificem de scripti sensu  
judicantem nullum cadere errorem.*

PHILADELPHUS. Nonne dixeram, Nicostrate? Jam inveni aliquid, quo qua ex D. Thoma heri deprompsisti argumenta penitus diluam.

NICOSTRATUS. Quid illud est? amabo te, ediscere.

PHIL. Ut fides, ita etiam potest haeresis in iis tantum versari rebus, quas loquentis Dei revelavit autoritas. Jam vero cum nusquam revelaverit Deus Ecclesiam in assequendo scripti alicujus sensu omni vacare errandi periculo, is qui secus statuit, haerescos accusari nequaquam potest.

NIC. Jam ego perspicio verum esse id quod tu dicebas heri, ingenium quiescendo acui: nam acutum affers & subtile argumenti genus. Dubito Philadelphie, an id tuâ solius industria adinyeneris. Videtur profecto ex supplicantium officina exisse: nam nihil est, quod pag. 9. magis inculcant, quam

quam illud: quidquid ad fidem Catholicam . . . pertinet illis (Apostolis aliisque Historiographis) revelatum est. Verumtamen non digitum exero, id est, nondum vi-  
cium me fateor.

PHIL. Nætu, Nicostrate, meæ diffidis scientiæ, tamquam si nesciam ego illos; qui in conflictu succumberent, olim elato digito consuevisse τὴν ἡτίου seu cladem agnoscere. Nil mihi opus erat tuâ istâ explanatione: Et æque ac tu legi illud Persii:

*Nil tibi concessit ratio; digitum exere, peccas.*

NIC. Ergo multò magis Episcoporum scientiæ visi sunt diffidere supplices Theologi in sua ad Episcopos directa præfatione: nam ubi allegaverant hæc mea verba: Partem salutationis Angelica ultimam INDUCTAM: continuò explicationis ergo subiungunt, seu deletam, quasi vero yim Latinæ hujus vocis INDUCTAM, quia à vulgari usu remotior est, intelligere non potuissent doctissimi Antistes, hæc explicatione non additâ. Cum hæc ego nudius tertius ostenderem Contubernali meo, ita risum non tenuit, ut illum cum Zeuxi risu emoriturum existimarem. Deinde risu in indignationem verso, quid? Inquietabat, Opstratus fese statuit Ludimagistrum Illustrissimorum Præsulam? Quid? Illos respicit tamquam suos olim in Collegio novo Magistellus coactos è triuio pueros? Quid? Illos tacite arguit inscitæ? Quò se tandem Janseniana efficerat arrogantia?

PHIL. O Nicostrate, tua mihi nota est calliditas; quia propositi vim argumenti enervare non potes, propterea tuam rabiem in Opstratum effundis, ut, adjuncto ad eum tuendum animo, mei argumenti obliviscar.

NIC. An me putas propositi argumenti subtilitate terrei? Si autoritatem Ecclesiarum in assequendo alicujus scripti sensu errare nesciam saltem implicitè revelatam esse dixeris, quò te vertes?

PHIL. Implicitam revelationem ægrè admittere videntur supplicants, quippe qui pag. II. ita loquuntur: *Ne ingrediamur quaestionem Scholasticam de nomine magis, quam de re, an quedam dici possint revelata saltem implicitè; paullisper admissimus & ultro concedimus, quadam posse dici implicitè revelata, que quidem expresse revelata non sunt, sed que satis aliunde notum est in expressa aliqua revelatione contineri.*

NIC. Nolo, Philadelphie, id mihi supplices ultro concedant: maximum enim beneficium se mihi dedisse putabunt, & ut illiberale est hominum istorum ingenium, hoc mihi fortasse reprobarunt postea. Præterea quâ fronte dicunt se id ultro concedere, ad quod concedendum inviti prorsus ac repugnantes adiunguntur.

PHIL. *Quis eos invitatos ac repugnantes adigat?*

NIC. Et ratio & communis Theologorum autoritas. Ad autoritatem quod attinet, ullumne esse putas, Philadelphe, alicujus nominis Theologum, qui revelationem illam implicatam repudiat? si quid in te viri est, vel unum ostende.

PHIL. Needum ego omnes Theologos excussi. Hunc tibi ostendent Eximii Domini mei ac Magistri ceterique supplices, impigri illi librorum Helliones.

NIC. Expectabo avidè. Interea ad rationem veniamus. Dum tu, Philadelphe, dicas E. C. hominem esse me, nonne implicitè etiam dicas me esse animal, me esse rationis participem, me corpore constare & immortali anima, denique habere me omnia, quæ ad rationem hominis necessaria sunt?

PHIL. Ita est.

NIC. Ergo etiam Deus, quando dixit E. C. Christum esse hominem, implicitè dixit ipsum esse compos rationis animal, ipsum constare ex corpore & anima immortali, ipsum denique habere reliqua omnia, quæ ad rationem hominis necessaria sunt. Vel ostende mihi, quid divina locutio hic ab humana differat. Ostendere hoc non potes?

PHIL. Minimè gentium.

NIC. Igitur (quod demonstrandum suscepseram) patet jam quedam dicti posse revelata implicitè atque adeo non est cur hoc mihi ulro & quasi beneficii loco ab adversariis concedi patiar.

PHIL. Parturiunt montes, & ius (quantum ego quidem conjicio) ridiculus enascetur. Do tibi sanè Deum, quando Christum hominem esse revelavit, etiam revelasse illum esse animal, illum habere corpus verum, non phantasticum, ut formiabant olim Hæretici. At vero quid te ista juvant?

NIC. Ergo quando Deus revelavit Ecclesiam in docendo, qualis sit scripti sensus, errare non posse; etiam implicitè revelavit eandem Ecclesiam non posse errare in assequendo, quis sit scripti sensus.

PHIL. Nego consequentiam.

NIC. Consequentiam probo: ideo, quando Deus revelavit Christum esse hominem, implicitè revelavit etiam Christum esse animal, quia animal in homine involvit: atqui (ut heri vidimus) infallibilitas in assequendo, quis scripti sensus sit, involvit in infallibilitate in docendo qualis sit scripti sensus: ergo quando Deus posteriorem infallibilitatem revelavit, implicitè revelavit etiam priorem.

PHIL. Hec tu satis subtiliter. Sed fare, Nicostrate, uspiamine revelavit Deus priorem illam infallibilitatem in posteriore involvi?

NIC. Fare, Philadelphe, uspiamine revelavit Deus animal in homine involvi?

PHIL.

PHIL. Hoc satis aliunde notum est.

NIC. Illud etiam satis aliunde notum est. Igitur si ad hoc divinâ fide credendum obstringamur, cur non etiam ad illud?

PHIL. Quid? hæcne implicita revelatio ad fidem sufficit?

NIC. An dubitas? sunt enim plurima fide divinâ credenda, quæ non alio revelata sunt modo, E. C. Christum esse animal, participem rationis, animo præditum immortali, & innumerabilia alia, quæ nihil attinet referre.

PHIL. Audiveram per sapientiam ea que ita revelata sunt implicitè, non esse de fide quoad nos, sive (ut loquuntur in scholis) non esse de fide obligante, nisi satis aliunde notum sit ea in expressa aliqua revelatione contineri.

NIC. Hoc satis aliunde notum est in materia, quam nunc agitur. Verum antequam prosequar, Philadelphe, non possum, quin te hoc loco laudem plurimum, tibique accommodem illud Græcorum adagium: Οτιολοὶ μάνδαται τῶν διδασκαλῶν κρείτονες, id est, multi discipuli suis Magistris Doctiores sunt.

PHIL. Quid ita?

NIC. Hic tuos Magistros longè superas intelligendi acumine: nam paginae putant illi nihil esse revelatum implicitè, quād quod aliunde notum est in expressa aliqua revelatione contineri. Quo quid dici potest stultius? quid magis falsum? sed condonemus hoc supplicum Theologorum inscitizæ, aut si mavis, officiantia. Fortè ca dum scripserunt, instaurarunt funus Formulae.

PHIL. Quæ igitur tua est hæc super re sententia?

NIC. Audies. Quemadmodum tu, Philadelphe, visus es pulchre animadvertere; quod implicitè revelatum dicitur, id notum esse debet in expressa aliqua revelatione contineri, non quidem ut revekitum sit (quippe revelatum aliquid esse potest, licet revelatum esse ignoretur) sed ut sit de fide quoad nos seu de fide obligante.

PHIL. Istud ego jam capio. At vero an tu, Nicostrate, autoritatem Ecclesiae in scripti alicujus sensu intelligendo falli nesciam de fide obligante esse censes?

NIC. Jam dixi. Censeo, & id meeum censent Orthodoxi omnes: Est enim luce meridianâ clarissimi falli nesciam autoritatem contineri in ea expressa revelatione, in qua revelatum est, Ecclesiam esse firmamentum & columnam veritatis; in qua revelatum est Ecclesiam esse sine macula & ruga; in qua revelatum est portas inferi non prevalituras adversus eam &c. Sed quid haec ego argumentor, Philadelphe? Quid plura disputo? Cedo mihi, obsecro, ubi revelatum est in Ecclesiam juris divini controversias dirimentem, erratum cadere non posse?

PHIL.

PHIL. Illis locis , Nicostrate , quos jam attulisti.

NIC. Explicitè hoc illis locis revelatum est , an implicitè tantum?

PHIL. Implicitè.

NIC. Ergo jam ipse configis ad implicitam istam revelationem à qua ante videbaris cum tuis supplicibus tantopér abhorrire. Hæc cum ita sint , quid superest , nisi ut quemadmodum hanc Ecclesiæ infallibilitatem , ita etiam illam de fide obligante esse confiteare. Etenim utraque revelata est implicitè.

PHIL. Nondum ego certè video hoc concedi oportere.

NIC. Satis crediderim : non enim ad ea , quæ dico , videris animum adiungere. Quia de causa meriti in te convenit id quod in Dialogo suo 2 sub initium habet Maxentius : *Mens non sanari , sed vincere cupiens , ad nihil aliud intenta est , nisi ut inveniat , quod pro suis partibus eloquatur.*

PHIL. Ne metue , Nicostrate , ego satis attendo ; & ubi domum rediero , iterum ruminabo singula. At enim peto abs te , ut hic mihi des aliud quod additamentum.

NIC. Ecquod?

PHIL. Dicam. Quotiescumque Ecclesiam in percipiendo scripti sensu ab omni erroris periculo immunem esse affiras , etiam adjungis Pontificem. An igitur uspiam revelatum est Pontificem solum cùdem illâ immunitate gaudere?

NIC. Est.

PHIL. Ubi obsecro?

NIC. Joan. ultitio : cum enim Christus ibi dicit Petro *pasc agnos meos , pasc oves meas* , nonne cum ejusque successore gregi suo Pastores præficit?

PHIL. Ita , Nicostrate. Sic enim habet Florentina Synodus ; definimus .... Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum , & *reum Christi Vicarium , totiusque Ecclesia caput , & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem exhibere , & ipsi in B. PETRO PASCENDI , REGENDI ET GUBERNANDI UNIVERSALEM ECCLESIAM A DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO PLENAM PROTESTATEM TRADITAM ESSE.* Sed quid inde proficies?

NIC. Parum vides , Philadelphie , qui né istud quidem videris. Nam si Christus voluerit gregem suum bene recteque pascere , ei Pastorem præficit non malum : etenim ut est apud Homerum :

*Μῆλα κακοὶ φέρεται νοῦνες.*

*Malas corrumpit orilia Pastor.*

Ergo bonum ei Pastorem præficit. Atqui ut docet S. Laurentius Justinianus de contemptu mundi cap. 15. Boni Pastoris hoc semper est proprium ; ut filii

creditas oves PINGUA INTRODUCAT AD PASCUA ; easq[ue] solerti curâ ab incursibus Sylvestrium custodiat bestiarum. Nazianzenus Gregorius orat. 7. petens à Parete boni Pastoris munus edoceri ita ipsum alloquitur : *Dic , QUÆ PASCHA petenda , qui FONTES adeundi ; ac rursum QUÆ PASCUA , vitanda , qui LATICES.* Nota , Philadelphie , QUÆ PASCUA , QUI LATICES : non enim dicit tantum : *QUALIA PASCUA , QUALES LATICES.* Sed temovebit magis Augustinus. Quapropter & illum audi de verbis Domini serm. 43. cap. 5. circa medium : *Pertinet , inquit , ad officium Pastoris OPERTOS FONTES APERIRE , hoc est ostendere & aquam puram , innoxiam stientibus ovibus ministrare.* Igitur si Christus Ecclesiæ suæ præfesse voluerit Pastorem Bonum , voluit præfesse talem , qui non tantum salutares herbas aquamque puram & innoxiam ovibus porrigeret & subduceret contraria , sed etiam coimmonstrareret fontes , ubi aquæ illæ saliunt , & duceret ad pascuæ , ubi ille herbe nascuntur. Hoc si negas , quomodo de se ipse potuit Christus dicere , *Ego sum Pastor Bonus?* Certè supræmi Pastoris videtur esse , ut Pastori suo Vicario subministret adjumenta omnia ad commissum gregem bene recteque pascendum necessaria.

PHIL. Intelligo. Sed quomodo , Nicostrate , ex his omnibus deducis Summum Pontificem sine discrimine errandi docere posse , quibus libris aut scriptis Catholica aut hæretica dogmata continentur?

NIC. Quemadmodum Philadelphie , aquæ & herbae quæ porrigitur Pastor ille nobis debet vel subducere , nihil aliud sunt , quam Catholica vel hæretica dogmata ; ita etiam fontes & latices & pascuæ aliud nihil hic sunt , quam libri aliaque scripta , quibus hujusmodi dogmata continentur. Igitur cum Pastoris boni sit ovibus ostendere , *qua pascuæ petenda , qui fontes adeundi ; ac rursum qua pascuæ vitanda , qui latices;* Pontifex , qui est Pastor bonus , potest coimmonstrare libros illos quibus pestifera aut salutaris doctrina traditur ; idque sine ullo errore : etenim si subinus illi in terris Pastor erraverit , quis errantem corriget ? Prorsus nemo. Ergo obedientes oves quando se conferent ad coimmonstrata pascuæ , sed coimmonstratos fontes , ratæ se salutares herbas carpere , & aquam haurire innoxiam , pestiferum venenum & carpere & haurire. Ecce quanta hujus consuetatis absurditas. Insuper Philadelphie , si Pontifex non possit certo ostendere hæc fontes & pascuæ , jam ( id quod non dabunt supplices ) nico poterit aquas & herbas certo ostendere.

PHIL. Quid ita?

NIC. Ubi possunt aquæ illæ & herbae , id est , dogmata ostendi , nisi in fontibus & pascuæ , hoc est , in scriptis & locutione humana? Certè sine humana oratione nihil nos docere potest Pontifex.

PHIL. Ut dicam id quodires tu? Nicostrate , hic ego aliquam difficultatem agnosco :

agnosco : etenim si sine ulla erroris suspicione possit judicare suis ipsius pac-  
cuis seu verbis hæreticam aut Catholicam sententiam subjici , non satis asse-  
quor , cur idem judicare non possit de verbis alienis.

NIC. Ergo jam constat Joan. ultimo revelatum esse Pontificem in asse-  
quendo scripti alicujus sensu nullum adire labendi periculum.

PHIL. Nequaquam Nam licet ego hunc nodum gordium non queam dif-  
solvere , eum Magistri mei dissolvente facile. Pace tuâ , Nicostrate , ego  
abierim : etenim jam nunc domi desideror ad tractandum nescio quod ne-  
gotium.

NIC. Abi bonis avibus , & quæ hodie Differimus , fac ea rumines di-  
ligenter.

## C O N T E N T I O V.

*Exagitatur istud principium : Quidquid Apostolis aliiſve  
Hagiographis revelatum non est , infallibili Ecclesiæ  
judicio definiri non potest ; & aliquot supplicum Theo-  
logorum repugnantiæ revincuntur.*

**N**ICOSTRATUS. An hæsterna argumenta ruminasti bene ?  
PHILADELPHUS. Ruminavi , Nicostrate ; & hunc in finem vigilavi  
in multam noctem. Tamen nondum assequor quomodo fide credi possit  
sensum aliquem hæreticum E. C. 5 propositionum contineri libro , qui à  
*Cornelii Jansenii Augustino* nomen invenit.

NIC. Istud heri dixi. Quia Ecclesia in hujuscemodi quæſtione nulli errato  
obnoxia id definiuit.

PHIL. Ecclesia id definire non potest , quod cum supplicantibus pag. 9.  
hoc syllogismo ostendere mihi non est arduum : „Quidquid Apostolis aliiſ-  
hæretico Hagiographis revelatum non est , quæſtio fidei aut morum esse non po-  
test , nec infallibili Ecclesiæ judicio definiri .” Atqui Apostolis aliiſve Ha-  
giographis revelatum non est , fore ut sensus quinque propositionum hæ-  
reticorum continetur libro , cui nomen , *Cornelii Jansenii Augustinus* : Ergo  
an sensus 5 propositionum hæreticus continetur libro , cui nomen , *Cor-  
nelii Jansenii Augustinus* , quæſtio fidei aut morum esse non potest , nec  
infallibili Ecclesiæ judicio definiri .”

NIC. Et istud argumentum , Philadelphus , in quo Janseniana triumphat  
factio ,

factio , sed perperam & sine causa. Quis enim non animadvertis argumen-  
to isto , si quid habet roboris , convulsum iri quidquid est doctrinæ sacræ  
in Ecclesiæ scriniis , quidquid decretorum fidei sacrorumque canonum ex-  
stat uspiam ? si lubet , hoc ego tibi demonstrabo clarissime. Et ne multa ,  
exhibe mihi fidei decretum , quod censeas firmum & omni cavillatione  
exemptum.

PHIL. Ut nuper fecimus sumamus Ephesinos Canones aut Arausicanos ,  
aut , si mavis , Decretum Concilii Tridentini de justificatione. Id supplicantem  
recusabit nemo. Sat scio.

NIC. Habet. Igitur jam quero ego ex te , Philadelphus : uspiamne Apo-  
stolis aliiſve Hagiographis revelatum est , fore ut sensus orthodoxus conti-  
neatur isto Tridentini decreto ? si potes , locum ostende , ubi id revela-  
tum putes ?

PHIL. Non puto illud esse revelatum , quia neque in scriptura , neque in  
traditione , ulla fit mentio ullius scripti aut decreti à Concilio Tridentino  
editi.

NIC. Igitur immisum telum in te tuosque supplices ita retorquo : “Quid-  
„quid Apostolis aliiſve Hagiographis revelatum non est , quæſtio fidei aut  
„morum esse non potest , nec infallibili Ecclesiæ judicio definiri .” Atqui  
Apostolis aliiſve Hagiographis revelatum non est fore ut sensus orthodoxus  
contineatur Tridentini Decreto de justificatione : Ergo an sensus orthodoxus  
contineatur isto Tridentini Décreto , quæſtio fidei aut morum esse non  
potest , nec infallibili Ecclesiæ judicio definiri. Quid censes , Philadelphus ?  
Rectene hoc spiculum retorsi ?

PHIL. Minime , Nicostrate ; nam scriptum istud seu decretum de justi-  
ficatione est jam scriptum seu Decretum ipsius Concilii.

NIC. Nihil ad rem id facit : nam Decreti illius scriptive , ut tu ipse af-  
firmas ; nulla fit mentio in scriptura aut Traditione , nihilo magis ; inquam ,  
quam libri ab Irenensi Antistite editi . Tenet itaque vim suam ista ratio , quæ  
citato loco utuntur supplices : “Quidquid Apostolis aliiſve Hagiographis re-  
velatum non est , quæſtio fidei aut morum esse non potest , nec infallibili  
„Ecclesiæ judicio definiri .” Deinde quid cause est , Philadelphus , cur illud  
de justificatione Decretum , cum à Musso , Seripando aliiſque concinnatum  
sit , Tridentini Concilii nuncupes ?

PHIL. Quia Concilium declaravit esse inconcussa fidei Catholicæ dogma-  
ta , quæ isto Decreto continentur.

NIC. Nihil iterum id me juvat , si Apostolis aliiſve Hagiographis revela-  
tum non sit fore ut inconcussa Fidei Catholicæ dogmata continantur isto  
Decre-

**Decreto.** Igitur ( quod nuper ostendi pluribus ) nihil firmum est in Tridentina Synodo , nihil certum , si usquam labi possit Ecclesia de recta perversa-  
ve scripti alicujus doctrina sententiam ferens . Facile mihi erit , Philadelphe , Ephesinos & Arausicanos cæterosque Canones , & Pontificum Constitu-  
tiones omnes , itò & Editionem vulgatam eadem argumentatione expug-  
nare : etenim si " quidquid Apostolis aliis Hagiographis revelatum non est ,  
„ nec questio Fidei aut morum esse possit , nec infallibili Ecclesiæ judicio  
„ definiri " Scripturam mihi exhibe aut Traditionem , quâ constet revelatum  
esse Apostolis vel Hagiographis aliis , omnes illos Canones & Constitu-  
tiones doctrinam continere orthodoxam , quâ constet Editionem vulgatam ve-  
rè esse authenticam . Adhuc cessas exhibere ? Ergo , id quod agebam , jam  
nullus erit Conciliorum Canon , nullum Decretum , quod non energet hec sup-  
plicantium argumentatio , si cogitetur nervum habere ; & verum erit illud  
consecutarium , à quo magnopere abhorre se simulant supplices : *Quidquid  
Ecclesia jam inde ab Hieronymi temporibus ex vulgata sensu statuit , sive ad instituen-  
dos Catholicos , sive ad Hæreticos refellendas , dubium est , incertum est , errandi pe-  
riculo non vacat.*

**PHIL.** Falleris , Nicostrate , falleris ; non ista sequuntur incommoda : magis enim supplicibus nostris viris doctissimis credendum existimo , quâ tibi . Illi pag . 22. id negant his verbis : *Maneat fixum & inconcussum , errare posse Ecclesiam in sensu alicujus libri definitio , dum quis sit sensus illius , in sacris Litteris vel Traditione revelatum non est : neque tamen propterea Concilia omnia debili-  
tari posse atque convelli.*

**NIC.** O Philadelphe , quemadmodum rectè observas , id negant simpli-  
citer , non probant . Ego vero rationibus firmissimis , quibus respondere  
non possum , hoc ita es & nunc & aliàs probavi .

**PHIL.** Nugæ . Non enim Ecclesiam dicimus in hujusmodi questionibus passim errare , sed errare posse . Hanc nostram verissimam sententiam malo ex ipsis supplicantibus , quâ ex me intelligas . Lege quæ habent pag . 22. jam citatæ : *Quod dicimus , errare posse Ecclesiam in sensu alicujus libri definitio , dum quis sit sensus illius , revelatum non est , non sic accipi volumus , ac si tunc Ecclesia passim esset errori obnoxia ; sed quod tunc ea ipsi infallibilitas promissa non sit , quam sibi promissam habet , dum ea , quæ revelata sunt , definit .*

**NIC.** Nihil id iterum supplicantibus juvat : nam secundum illos licet Ecclesia in hujusmodi non revelatis questionibus passim non errat , errare tamen absolute potest . Unde igitur jam exploratum habeo eam in hoc aut illo Decreto , in hoc aut illo Canone non errasse ?

**PHIL.** Nimirum preceps es , Nicostrate , animum adverte ad ea , quæ supra

supra citatis verbis supplices continuo subnectunt : *Quis dubitet , quin ( Ec-  
clesia ) aliam quandam infallibilitatem tunc etiam ( cum ea definit , quæ re-  
velata non sunt ) habere queat ; quan vel ex ipsa rei evidencia , vel ex com-  
muni totius orbis consensu mutuetur ? Sunt quidam libri , adeò clari & per-  
spiciui , ut illorum sensum quisque vel tenuiter doctus intelligat .*

**NIC.** Speciosa enimverò oratio & ad fallendum imperitum Tironum vul-  
gus excogitata ! Ut ut est , neque sic effugiant absurdâ illa consecutaria : quam  
enim hîc aliam infallibilitatem Ecclesiæ adscribunt , nisi eam , quam homo  
quilibet aut de evidentibus cuiusvis scientiæ principiis habere potest , aut de  
profana aliqua historia communi totius orbis recepta consensu ? Certè lib . I.  
contra Appionem ait Josephus : *Tūs μὴν γὰρ ἀγκάθες ἔστι τεκμήριον ἰσοπίας ,  
ἢ τοῖς τοῦ ἀντρῶν ἀπαρτεῖσαν ταύτα καὶ λέγοντες καὶ χράσοντες . Indicium est vera historia ,  
si de rebus iisdem omnes eadem & dicant & scribant , hoc est , si orbis totius re-  
cipiatur consensu . Nolo hic commemorare eos , qui nos aiunt ex principiis  
geometricis aliquam infallibilitatem mutuari posse , hoc enim tibi satis superque  
notum esse arbitror .*

**PHIL.** Quid dicas , Nicostrate , haud satis intelligo .

**NIC.** Hoc dico quemlibet privatum hominem , si vera sit ista supplican-  
tium sententia , æque infallibilem esse , atque Ecclesiam ipsam , dum dicit  
E.C. Romulum Romanæ Urbis conditorem esse , aut omnes angulos rectos  
inter se æquales . Etenim in hoc geometrico exemplo infallibilitatem *ex ipsa  
rei evidencia* mutuatur , in illo autem historico *ex communi totius Orbis consensu* .  
An non ampliorem aliquam & veriorem infallibilitatem sponsæ suæ clarius  
est Christus ?

**PHIL.** Non .

**NIC.** Ergo cum scripti alicujus sensus , vel ex ipsa rei evidencia , vel ex  
communi totius Orbis consensu patet , nihil nobis opus erit Ecclesiæ judicio :  
tunc enim æque ac Ecclesia ipsa sensum illum sine ullo erroris assequi pote-  
stimus periculo . Adeoque verum est id , quod inferebam nuper , Theologis  
vestris in animo esse tollere controversiarum jūdicem . Habe tibi etiam alterum  
corollarium : ergo contra quâ definit Florentina Synodus , jam Pon-  
tifex non erit Doctor universi Orbis , sed è contrario universus Orbis erit  
Doctor Pontificis . Apage commentitiam illam infallibilitatem .

**PHIL.** Infallibilitatem illam commentitiam appellas ?

**NIC.** Ita Philadelphe : nam stante istâ infallibilitate adhuc errare absolute  
potest Ecclesia , quod ut probem , non jam dicam Orbem totum in illo con-  
sensu falli posse ; & multa multis videri evidencia , quæ evidencia non sunt ,  
sed quæram tantum ex te : revelatusne est sensus ille , quivel *ex ipsa rei evi-  
dencia , vel ex communi totius Orbis consensu patet ?*

**PHIL.**

PHIL. Minimè.

NIC. Quomodo igitur istam infallibilitatem concilie cum isto supplicium effato: "Quidquid Apostolis aliisve Hagiographis revelatum non est, infallibili Ecclesie judicio definiri non potest? Ergo supplices Theologi aut secum ipsis pugnant, aut hinc veram proprieque dictam infallibilitatem Ecclesie non attribuunt.

PHIL. Profectò non adverteram ad istam antilogiam.

NIC. Ergo dicendum est, Philadelphie, illos, dum aiunt: *Quis dubiter, quin aliam quandam infallibilitatem tunc etiam habere queat?* veram & propriè dictam infallibilitatem non intelligere.

PHIL. Sic est. Hic eam tantum infallibilitatem attribuunt Ecclesie, quam nulli Doctori denegamus. Atque id vel ex ipsorum verbis liquet: nam postquam dixerant: *Sunt quidam libri adeò clari & perspicui, ut eorum sensum quisque vel tenuiter doctus intelligat:* statim subjiciunt: *An tunc quod curvis de vulgo Doctorum conceditur, negabis Ecclesia?* At longè aliter differendum est tum, cum quis sit scripti sensus, ex rei evidentia aut totius orbis confessione constare non potest: tum enim Ecclesia ne tali quidem infallibilitate gaudet. Accipe, Nicostrate, nostrorum Theologorum dignam cedro sententiam pag. 23. *Quoniam, inquit, & Ecclesia ex hominibus constat, qui falli possunt; & infallibilitas ipsi in sensu cuiuscumque libri definiendo promissa non est: Fieri etiam non numquam potest, ut in sensu alicujus libri, PRÆSERTIM vasti, & obscura controversaque tractantur fallatur.*

NIC. Hæcne digna est cedro sententia?

PHIL. Est: neque enim quidquam ad defensandum Jansenium excogitari melius potest vel præstabilius: quippe cum ipsius liber vastus sit & obscura controversaque tractet, Ecclesia in ejus sensu assequendo errare facile potuit, & ut ego quidem cum D. de Ligny aliisque multis existimo, reipsa erravit.

NIC. Nonne vasti etiam sunt, & obscura controversaque tractant Augustiniani codices, ex quibus Concilium Arausicanum II. suos deprompti canones? Nonne anathematissimi S. Cyrilli? Nonne Muffi & Seripandi de justificatione decretum? Nonne Pontificum Constitutiones aliaque hujusmodi? Certe Concilia atque Pontifices ea, quæ obscura & controversa non sunt, definire non solent. Ergo in sensu istorum scriptorum intelligendo falli potuit Ecclesia, potuit Pontifex. Atque adeò iterum sequitur, ut nihil sit in hisce Constitutionibus, in hisce Canonibus atque decretis, in quo Catholicorum fides possit firma consistere. Sed ut magis cernas supplicum Jansenistarum amentiam, est quod te rogem.

PHIL. Roga. Quid illud erit, obsecro?

NIC.

NIC. Cum recitasti illam cedro dignam sententiam: *Fieri etiam non numquam potest, ut (Ecclesia) in sensu alicujus libri, PRÆSERTIM vasti & obscura controversaque tractantis fallatur:* an satis observasti illam particulam PRÆSERTIM?

PHIL. An igitur illa particula hinc habet singularem aliquam vim aut robur?

NIC. Ubi est acumen tuum, Philadelphie? per adjunctam illam particulam videntur supplices velle innuere Ecclesiam falli quoque posse in sensu alicujus libri, etiamsi vastus non sit, & obscura controversaque non tractet.

PHIL. Hoc mihi, abs te probari postulo.

NIC. Non deero, Philadelphie. Cum ego dico: facile mihi est E. C. Hæreticorum fraudes, præsertim Jansenistarum detegere, an non tum dico facile mihi esse fraudes detegere etiam aliorum Hæreticorum, licet Jansenista non sint?

PHIL. Ita profrus.

NIC. Atqui hinc eadem loquendi ratione utuntur supplices. Igitur hic Penelopes telam retexunt, sive rursus destruunt, quod prius effecerant.

PHIL. Ut verum fatear, Nicostrate, non videris mihi tam male concludere.

NIC. Itaque si (ut hinc innunt) Ecclesia aut Pontifex nonnumquam falli possit in sensu alicujus libri, etiamsi obscurus non sit, jam haud satis asseror quomodo denuò non loquantur pugnantia pag. 25. ubi interroganti mihi: *Potestne Ecclesia aut Pontifex subjectum suis ipsius verbis sensum ita percipere, ut abs omni errandi discrimen?* Ita pro te, Philadelphie, respondent: *Potest, nisi verba adeò obscura sint, & vel ex institutione, usu, aut consuetudine, vel ex aliis adjunctis ita dubia & equivocationibus obnoxia, ut nec suorum verborum sensum intelligat, &c.*

PHIL. Ex ipsis verbis nihil aliud ego possum eruere, quam Pontificem aut Ecclesiam sine ullo periculo erroris posse assequi sensum libri clari & perspicui: etenim (ut dicunt pag. 23.) *quod cuivis de vulgo Doctorum conceditur, negabis Ecclesia?*

NIC. Ego jam probavi, Philadelphie, hoc ab ipsis alio loco, ubi apponitur illa particula *præsertim*, iterum negari.

PHIL. Non memineram. Certè, uti dicis, Nicostrate, hæc inter se pugnant maximè. Verum cum pugnantia loqui in supplices viros tam dotos, tantaque prudentia laude florentes cadere non possit, puto ego illam particulam *præsertim* vitio Typothetæ irrepsisse.

NIC. Mihi crede, Philadelphie, istud parùm simile vero fit. Sed deinceps sanè; adhuc nihil negotii erit ostendere ea, quæ hinc dicuntur à supplicibus Theologis, minime inter se cohaerere. Age, Philadelphie, finge animo librum,

librum , qui sensum habeat quām clarissimum , non revelatum tamen . Quero ego jam ex te , poteruntne tui illi Magistri supplices sine ulla repugnantia dicere , Ecclesiam aut Pontificem in intelligendo tam claro tamque perspicuo sensu non subire ullam erroris periculum ?

PHIL. Poterunt , modo inducta fuerit illa particula *presentim* .

NIC. Mirum est , Philadelphie , quod id , quod ego jam dixi toties , nequum videoas .

PHIL. Ecquid ?

NIC. Etiam particulā illā inductā , vis sua perfstat isti supplicantium pronunciato : „ Quidquid Apostolis aliisve Hagiographis revelatum non est , „ infallibili Ecclesiæ judicio definiri non potest . „ Sic enim assumo : Atqui sensus ille licet clarissimus sit , tamen Apostolis aliisve Hagiographis revelatus non est : Ergo sensus ille clarissimus infallibili Ecclesiæ judicio definiri non potest . Quid habent supplices Jansenistæ , quo istam argumentationem expugnent ? Sed ut aliquam apud ipsos liberalitatis famam obtineam , tantisper concedam , libri alicujus sensum , dum clarus est , ab Ecclesia decidi posse infallibiliter . Nil tamen me juvat ista falli nescia autoritas .

PHIL. Quidni ?

NIC. Quid juvat , Philadelphie , sensum aliquem ab Ecclesia infallibiliter decisum esse , si an infallibiliter decisus sit , certò & sine errati suspicione scire non possim ? Atqui istud scire certò numquam potero .

PHIL. Assumptionem nego .

NIC. Probo assumptionem : numquam scire certò potero , an quia ab Ecclesia sensus decisus est , vere clarus sit . Non enim id propriā assequi poterō industriā , quia fieri potest , ut sensus , qui mihi obscurus appetet , Ecclesiæ clarus fuerit , & è contrario . Neque etiam id mihi certò poterit declarare Ecclesia : etenim huic vel illi sensui claritatem inesse , Apostolis aliisve Hagiographis revelatum non est ; adeoque hic iterum locum habet supplicantium axioma : „ Quidquid Apostolis aliisve Hagiographis revelatum , „ non est , infallibili Ecclesiæ judicio definiri non potest . „ Aveo videre , quā se se hinc expediant Tortuosi Colubri . Interim prosequamur reliqua , & ad hominem ( quod aiunt ) argumentem iterum : secundum supplicantēs in sensu libri claro dijudicando errare non potest Ecclesia : itaque toties , quoties sensum aliquem dijudicat , non errat .

PHIL. Ridicula profectō istac est consequentia , tamquam si cujuscumque libri sensus clarus sit atque perspicuus .

NIC. Non tam ridicula , Philadelphie , istac est consequentia , quām pri-  
ma fronte fortasse appetet . Nam dic , obsecro , novitne Ecclesia se tunc ,

dum-

dumtaxat autoritate pollere errare nesciā , cum sensus clarus est ?

PHIL. Omnino , Nicostrate .

NIC. Nisi tu hoc mihi concessisses , quām pulcrè intulisset ego : Ergo tu , Philadelphie , cum tuis supplicibus Jansenistis aliquid supra Ecclesiam lapis , supra Columnam & Firmamentum veritatis . At bene declinasti iustum . Jam verò cum hoc noverit Ecclesia , nefas est existimare eam ad libri alicujus sensum definiendum prius accedere , quām certò constet definiendum sensum clarum esse . Etenim in re gravi potestatis suæ limites excederet . Hoc cīne in Ecclesiam cadere permittet ejus Moderator Deus ? Igitur si ( ut volunt Adversarii ) Ecclesia tantum in definiendo sensu claro errorem admittere non possit , divina Providentia erit invigilare , ne illum umquam definiat sensum , qui clarus non fuerit . Alioquin quid proderit ista infallibilias ? Quisque enim dubitare poterit , an definitus sensus satis claritatis habuerit .

PHIL. Sed potestne certò constare Ecclesiæ definiendum sensum clarum esse ?

NIC. Procul dubio : si enim id certò Ecclesiæ constare non possit , jam etiam non poterit Ecclesia certò scire & declarare , an hic vel ille sensus quem jam decidit , infallibiliter decidatur . Id autem si non possit , quid juvat ad regendas oves hunc vel illum sensum decidi infallibiliter ? Nihil profectō : quippe secundū regulam juris : *eadem sunt non esse & non apparere* . Hisce ita constitutis in supplices novum impetum facio : sicut jam ostendi , omnis ab Ecclesia definitus sensus clarus est : Atqui Jansenii sensus est ab Ecclesia definitus : Ergo Jansenii sensus clarus est . Atqui ex supplicantium sententia Ecclesia in definiendo sensu claro errare non potest : Ergo Ecclesia in definiendo sensu Jansenii errare non potest , ergo neque erravit . Jamne vides , Philadelphie , quot repugnantius ista abundet Jansenistarum supplicationis ?

PHIL. Hic ego multum difficultatis agnosco , ut verum fatear .

NIC. Hanc tandem ex te vocem vis veritatis expressis . Sed cedo , amabo te , Philadelphie , nonne supplicantium scribæ possim accommodare ista verba , que olim in M. Antonium Romanus Orator intorsit : *Tam eras excors , ut totā in oratione tecum ipse pugnares : ut non modo non coherentia inter se diceres , sed maximè disjuncta atque contraria : ut non tanta necum , quanta tecum tibi esset contentio . . . . Hec tu non propter audaciam dicas tam impudenter , sed quia tantarum rerum repugnantiam non videoas . Nihil profectō sapis .*

PHIL. Mitius , Nicostrate , mitius obsecro .

NIC. In hujusmodi hominem tam vehementer invehi me docet S. Augu-

K

stinus

stius serm. 14 de verbis Apost. in fine : *serendum est*, inquit, *disputator errans in aliis questionibus non diligenter digestis . . . non tantum progredi debet, ut etiam fundamentum ipsum Ecclesia quatere moliatur.*

PHIL. Quid? An tu, Nicostrate, asseverare audes Viros illos Eximios atque integerrimos fundamentum Ecclesiae quatere?

NIC. Id assevero iterum iterumque, & ita esse patet in promptuque est omnibus, qui quæ hacenū attuli argumenta animo æquo ponderaverint. Etenim (sicuti ego jam ex vestris ipsorum principiis planum feci) libri alicujus sensus, qui Apostolis vel Hagiographis aliis revelatus non est, infallibili Ecclesiae judicio definiri non potest, sive clarus sit, sive obscurus: Ergo etiam si supplicibus assentirer, omnium Canonum Decretorumque sensus esse clarissimos maximeque perspicuos; tamen cum illi sensus revelati non sint, ab iis potuit aberrare Ecclesia. Si potuit, unde liquet non aberrasse? Quid igitur nunc restat, nisi ut incerta sint omnia, atque adeo fides titubet Catholica tam debilibus mixa fundamentis.

PHIL. Non placet istud argumentandi genus.

NIC. In quo erret, ostende, vel haftam abdice. Certè simili argumentandi genere usus est ipse Augustinus lib. I. de doctrina Christi. cap. 36. *Timabit Fides*, inquit, *si divinarum scripturarum vacillet autoritas.*

PHIL. Hic recte argumentatur Augustinus, tu verò, Nicostrate, non item: etenim Fides divinis scripturis nititur. Idecirco divinarum scripturarum vacillante autoritate, necesse est tota fides titubet.

NIC. Etiam Oecumenicis Conciliis Fides nititur: nam magnus ille Grægorius lib. I. epist. ubi ad Joannem Constantinopolitanum, Eulogium Alexandrinum aliosque Episcopos scribit: *in his, inquit, velut quadrato lapide sancta Fidei structura consurgit.* Ergo si, divinarum autoritate scripturarum vacillante, titubet Fides; etiam necesse est titubet vacillantibus Conciliis Oecumenicis. A pari Philadelphie.

PHIL. An nos Oecumenica Concilia vacillare censemus?

NIC. Quid in animo censematis, novit qui corda & renes scrutatur Deus. Hoc tamen ego certò scio doctrinam vestram esse hujusmodi, ut Conciliis omnibus nervum incidat. Quâ de causa nuper Content. 6. pag. 40. dicebam: *Etsi Ephesini Canonibus Virginem Scorókoy esse definitur, non id tamen videtur credere firmiter.* Sed modò me dicti piget.

PHIL. Certè nostri supplices atrocissimam fuisse aiunt istam calumniam. Verum macte animo. Nicostrate;

*Quem pœnitet peccasse, penè est innocens.*

NIC. O Philadelphie, non videris capere quid velim: non pœnitet me calum-

calumniæ, utpote quæ hic nulla fuit, aut esse potuit, sed nimis lenitatis. Gravius verbum aliquod res illa flagitabat. Dicatum oportuerat: *Non possunt credere firmiter.*

PHIL. Absurda correctio.

NIC. Optimè tamen in Concilio Tridentino stabilita: ibi enim sess. 6. cap. 9. dicitur *certitudini Fidei non posse subesse falsum.* Unde licet mihi ita arguere: Nullus potest credere firmiter & certitudine Fidei id cui potest subesse falsum: Atqui in supplicantum sententia Ephesini Canonibus potest subesse falsum: Ergo Ephesinos Canones non possunt supplicantibus credere firmiter & certitudine Fidei; & quod inde consequitur, non possunt credere firmiter Virginem esse Scorókoy. Quare noli mirari, Philadelphie, si famosa illa filia Domini Hennequinne ab hujus farinæ homine Nestorianum edocta est. Hoc pluribus discutere non est hujus loci. Maneat ea cura Ludovicum Benoit strenuissimum fidei Catholice vindicem. Idem porrò de aliorum Conciliariorum canonibus atque decretis dictum esto; idem de editione vulgata.

PHIL. Quamvis ea omnia non possim ex tempore dissolvere; tamen non credo tanta incommoda ex nostra sequi sententia: nam satis superque à nostris difflantur, uti ipsumet dicunt pag. 26. in §. VII. titulo: *Objiciuntur & DIFFLANTUR alia incommoda, &c.*

NIC. Etiam Plautinus ille Pyrgopolinices gloriatur, quod integras legiones DIFFLARIT spiritu, quasi ventus folia, aut peniculum teborum. Anne idcirco credis? *Iniquitatis Filii* nihil habent familiarius, quam hujusmodi thrasonismos, in hoc militi illi gloriose, vel potius Thrasoni Jansenio non diffimiles. Philadelphie, quæ jam hora est?

PHIL. In D. Petri audita est sexta.

NIC. Non ausim te detinere diutius, domum te recipe, & hæc ipse solvere cum non queas, tuo Präfidi propone.

PHIL. Istud agam, Nicostrate.

## CONTENTIO VI.

*Revelatum esse ostenditur 5 propositiones hæreticas libro Jansenii contineri, & quædam supplicantum argumenta diluuntur.*

PHILADELPHUS. Ut facturum me spoponderam; tua argumenta, Nicostrate, Präfidi nostro proposui.

NIC. Quid respondet?

PHIL.

PHIL. Ea respuit tamquam in responsive indigna, tamquam captiosa sophis-  
mata, & inania terricula menta puerorum. Deinde oratione conversâ ad alios,  
qui tum fortè aderant, Collegii sui Alumnos: si quis ( inquit ) consuetudi-  
nem & familiaritatem junxerit cum Nicostrato, volo eam drepentè diffici-  
dat: nam omnibus benè Catholicis tamquam pestis vitandus ille homo est.  
Tamen mihi noluit adimere facultatem ventitandi ad te.

NIC. Næ tu albæ gallinæ filius es. Hoc alii dum vident, quid aiunt?

PHIL. Nihil nobis æque proprium est ac CARITAS. & ut est apud Aposto-  
lum: caritas non emulatur. Quamquam & alia ratio sit, cur hanc mihi fa-  
cilitatem non invideant.

NIC. Que?

PHIL. Probè rorunt omnes, me adversus tua venena laureum gestare ba-  
culum, seu habere Alexipharmacum.

NIC. Alexipharmacum est tua illa pertinacia, quæ ad Jansenistarum sen-  
tentias quasi polypus ad saxum adhærescit, certus ab iis non recedere, li-  
cet inde tam detestanda promantur consecraria.

PHIL. Ut ut est, Philadelphie, non respondisti directè ad istud pronun-  
ciatum: " Quidquid Apostolis aliisve Hagiographis revelatum non est  
,,infallibili Ecclesiæ judicio definiri non potest."

NIC. Cum hæc te cura remordeat, directè respondebo hodie. Age igit-  
tur, verum sit istud: " Quidquid Apostolis aliisve Hagiographis revelatum non  
,,est, infallibili Ecclesiæ judicio definiri non potest." Vide, Philadelphie,  
quid tibi concedam causæ fretus bonitate.

PHIL. Sentio, hoc concessu erigitur animus, & in te, Nicostrate, sic  
irruo cum supplicibus Theologis pag. 9. Atqui Apostolis aliisve Hagiographis reve-  
latum non est fore ut sensus quinque propositionum hereticus continetur libro, cui no-  
men, Cornelii Jansenii Augustinus. Assumptionem istam si neges, expones te  
totius orbis ludibrio.

NIC. Ita quidem citato à te loco loquuntur supplices. Sed tamen ego dico  
Hagiographis revelatum esse 5 propositiones contineri libro Jansenii. Quod  
sic demonstrare aggredior: Omnes propositiones, quæ vel Scripturæ vel Tra-  
ditione continentur, veræ sunt & orthodoxæ, easque esse tales divinitus re-  
velatum est.

PHIL. Nihil potest esse manifestius. Perge vobis.

NIC. Ergo omnes propositiones, quæ iis propositionibus veris & ortho-  
doxis repugnant, falsæ sunt & heterodoxæ, easque esse tales divinitus reve-  
latum est. Quippe qui propositionem aliquam E. C. hanc: Deus est ἀσώματος  
expers corporis: Dicit veram esse; simul dicit falsam esse illam ejus contra-  
dictio-

dictionem: Deus non est ἀσώματος expers corporis. Sic dum Ecclesia 2. Jan-  
senianam E. C. Gratia interiori in statu naturæ lapsæ iniquam resistitur, hereti-  
cam pronunciavit; veram esse dixit illam: Gratia interiori in statu naturæ lapsæ  
aliquando resistitur. Idque ostendi potest ex ipso Augustino lib. 7. Confessi capi-  
t. 39. Improbatio, inquit, Hereticorum facit eminet; quid Ecclesia tua sentiat, et  
quid habeat sana doctrina.

PHIL. Hoc ego facile admittam: alterum enim sine altero dici non potest:  
sic dum Scriptura dicit Joannein esse Filium Zebedæi, etiam necessario dicit  
Zebedæum esse Patrem Joannis.

NIC. Rem capis, Philadelphie. Ergo ubi Scriptura dicit nulla Dei Pra-  
cepta cuiquam esse impossibilia, patefacit seu revelat falsam & hereticam esse  
hanc I. Jansenianam: aliqua Dei præcepta hominibus justis voluntibus & coniunctibus  
secundum presentes, quas habent vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, quæ  
possibilia sunt. Idem de propositionibus alijs oportet dicere.

PHIL. Esto. Sed anne ideo revelatum est hanc & alias propositiones con-  
tineri libro Jansenii?

NIC. Est, Philadelphie, Divinitus enim revelatum est libros omnes, qui  
propositiones continent S. Scripturæ repugnantes, continere propositiones  
hereticas. Assumo; atqui liber Jansenii propositiones continent S. Scripturæ  
repugnantes: Ergo divinitus revelatum est liberum Jansenii continere propo-  
ositiones hereticas.

PHIL. Malint nostri, excoriari vixi, quam istam assumptionem dare: Quis  
enim revelavit umquam liberum Jansenii continere propositiones S. Scripturæ  
repugnantes?

NIC. Deus ipse.

PHIL. Quando?

NIC. Quando revelavit hanc universalem: libri omnes, qui Sacris Litteris  
repugnantes propositiones continent, propositiones continent hereticas.

PHIL. Ergo secundum te, Nicostrate, liber Jansenii universali illâ propo-  
sitione certò continetur, non aliter, quam hæc præpositio: Omnis homo est  
animal: me & te & quemvis hominem alium complectetur.

NIC. Eodem prorsus modo.

PHIL. Sed unde jam constat liberum Jansenii in ista universalis propositione  
contineri.

NIC. Responso est facilius: tamen claritatis studio vicissim aliquid te prius  
rogaverim. Credite tu, Philadelphie Concilium Tridentinum in fidei defi-  
nitioibus non errasse?

PHIL. An id omnes nostri credant non scio: ego certè credo.

NIC.

Nec. Quâ de causa id credis?

**PHIL.** Quia 1. ad Tim. 2. reuelatum est quod Ecclesia sit firmamentum veritatis. Christus promisit se ad futurum Ecclesie usque ad consummationem saeculi, portas inferi nunquam prevalituras adversus Ecclesiam, que omnia non tantum revelantur de Ecclesia ut complectente universam fidelium multitudinem, sed etiam ut est representativa in Concilio oecumenico: at qui sub termino universalis omnis Concilii Oecumenici continetur Tridentinum:

NIC. Sed unde constat Concilium Tridentinum in hac universitate conditum?

PHIL. Ex declaratione Ecclesiae, que Cut Theologi loquuntur in libro  
hanc nobis revelationem applicat.

Nic. Estne illa Ecclesiaz declaratio immunis ab omni erratu periculo?

PHIL. Est. Alioqui Concilium Tridentinum etiam ut approbatum a Pontifice esse firmamentum veritatis non possem credere firmiter.

Nic. Respondes optimè, & hæc in re, Philadelphie, plene orthodoxus  
est. Sed nonne etiam declaravit Ecclesia aliam illam universalem revelationem  
librum Jansenii esse complexam?

PHIL. Declaravit id quidem, sed hic errare potuit.

Nic. Ridicula profecto, responso & Theologo inquit: non possit Ecclesia dum Concilium Trid. aut quodvis aliud universali illam contineri revelatione declarat, quare errare possit, dum idem de libro, cui nomen Cornelii Fansenii Augustinus, declarat? Non enim de Concilio Trid. magis distincte meminerunt sacrae Tabule, quam de libro Janesenii. Igitur quid restat, nisi ut tandem concludam: ruinofum esse illud supplicum Theologorum fundamentum: *Apostolis aliisque Hagiographis revelatum non est fore usus* 5 propositionum hereticus continetur libro, cui nomen, Cornelii Fansenii Augustinus & adeoque nec *questio fidei aut morum esse potest*, nec infallibili Ecclesie iudicio definiri.

**PHIL.** Nondum ruinam dedit istud firmissimum fundamentum. Nam, ne  
tu s<sup>e</sup>pe dixisti ipse, Ecclesia de alicujus libri sensu pronunciare sententiam  
prius non potest, quam vim verborum intellexerit.

Nic. Id iterum, Philadelphie, dico, iterumque  
sicut illa verborum revelata non est; ergo Eccl-

**PHIL.** Sic igitur arguo : vis illa verborum revelata non est  
sia de sensu alicujus libri judicans non abest ab omni errandi discriminione.

Nic. Admissio antecedente consequentiam pernega. Quia  
tecum sic agerem: vis verborum, quibus scriptura sacra confexitur, reve-

lata non est, ut pag. 36. ostendi nuper, & ut supplices quoque hanc  
tē concedunt. Ergo Ecclesia de S. Scripturaz sensu judicare infallibiliter non  
potest: admittere ne consequiam? PHIL

Paul Minimè.

NIC. Ergo neque ego admittere debeo, quia inter hanc & illam nullum interest. NI. Sed quantum interest. Non iam me decipies, sicut

PHIL. Erras, Nicostrate; multum intereat. Non jam me accipies, ne<sup>t</sup>  
decepisti nuper, quando dicebas tam sacre Scripturæ, quam aliorum libe-  
rum sensum ex vi & significatione verborum decidendam esse.

Nic. Egone te nuper decepi :

PHIL. Ita quidem pag. 23. & 24. aiunt supplicantes. & res patet: nam sensum horum verborum, *hoc est corpus meum*, à Tridentina Synodo definitum affirmabas ex significatione verborum; quo quid dici potest à veritate alius? „Afferimus, inquit supplices pag. 24. definitisse Synodum Tridentinam, quem sensum habeant hæc augustissima Christi verba, *hoc est corpus meum*, non tam ex verborum significatione, quam ex traditione Patrum, qui verba illa in propria & apertissima, quam præferunt, significatio ne intellexerunt. Verba Synodi aperta sunt: CUM PROPRIAM ILLAM ET APER- TISSIMAM SIGNIFICATIONEM PRÆ SE FERANT, secundum quam à Patribus intellecta sunt. Audin Nicostratī, SECUNDUM QUAM A PATRIBUS INTELLECTA SUNT? Posteriora hæc verba, & que ac priora, majusculo charactere expressa oportuerat, Nicostrate, si velles Tridentinam Synodum tam contra te, quam pro te andire: sed quæ tibi commoda sunt, videris sola à nobis legi velle; quæ sunt incomoda, ne obesse videantur, neglectius præteriri.”

Nic. Animis sensa candidè eloquar. Dolco Philadelphè , & vehementer quidem doleo , quod Victor Cancellati , cuius operâ contentiones nostræ lucem aspiciunt , posteriora illa verba , SECUNDUM QUAM A PATRIBUS INTELLECTA SUNT , non curaverit in a juscōlo charactere exprimenda : vobis enim nocent maximè.

PHIL. NOBIS?

Nic. Vobis, inquam. Etenim Sacerdotia illa Synodus inquiens: *Quae verba... cum propriam illam & apertissimam significationem pra se ferant, secundum quam à Patribus intellecta sunt: Nonne satis superque declarat Conciliorum esse etiam de vero & genuino SS. Patrum sensu judicare, non de sensu Scripturarum tantum, ut volunt supplices?* Non enim ullus lectis suis scriptis E. C. dicere certò potest: *Tu, Philadelphie, idem quod tuus Praeses tenes, nisi certò affectus sit, quid &c. tu & ille censeatis.* Ergo neque potuit Tridentina Synodus certò definire hæc tremenda verba propriam illam & apertissimam significationem pra se ferre, secundum quam à Patribus intellecta sunt, nisi & Patrum & Scripturarum sensum certò & sine periculo errandi percepérat. Usque ad eò hinc iterum secum ipsi pugnant supplices: *Quod ego eorum precipitacioni dare non possum, sed fatuitati & amentia.*

PHIL.

PHIL. „ Illud saltem ( ut aiunt loco citato ) majusculis notari debuerat : „ *indignissimum sane flagitium est ea ( verba ) à quibusdam contentiosis & pravis ho-*  
*mīnibus ad fictitious & imaginarios tropos... CONTRA UNIVERSUM ECCLESIAE SEN-*  
*sūM detorqueri.* Cur non notabas majusculis hæc : *Cvnta universum Ecclesia*  
*sensum ? Nisi quòd tunc perspicue intellexissent omnes non tam ad verbo-*  
*rum significationem , quam ad universum Ecclesia sensum attendisse Concilium,*  
*dum quis sit verborum illorum sensus definivit.”*

NIC. Quid? hæc non sunt notata majusculis?

PHIL. Nequaquam. Et si mihi , quia JANSENIST A sum , fidem non habes , allegatum locum tu ipse consule .

NIC. Profectò ita est ut tu dicis. O Victor Cancellati , quid fecisti? Etenim mihi summo amicitiae vinculo adstringeris , tamen non possum non hæc tibi irasci horrendum in modum : quia si hæc curassem notanda majusculis , iterum omnes perspicue intellexissent Conciliorum esse judicare , quis hæreticorum sensus sit.

PHIL. Quid ita?

NIC. Talpa sis oportet , Philadelphe , qui hoc nondum videas. Etenim si Concilia non possint sententiam ferre falli nesciam de sensu à contentiosis & pravis hominibus seu hæreticis intento , Tridentinum sine periculo errandi non potuit definire ea verba à quibusdam contentiosis & pravis hominibus ad fictitious & imaginarios tropos , quibus veritas carnis & sanguinis Christi negatur , CONTRA UNI- VERSUM ECCLESIAE SENSUM detorqueri. Quid enim sunt Philadelphe , fictiti illi & imaginarii tropi , nisi fictiti & imaginarii hæreticorum sensus? Certè Quintiliano ceterisque , qui de arte rhetorica scripsere , tropus est verbi vel sermonis à propria significatione in aliam cum virtute mutatio. Vides , Philadelphe ? Hic denuò supplices suo sibi jumento malum accersunt.

PHIL. Quidquid dixeris , Nicostrate , illud semper fixum manet ac ratum Sanctam Synodum ad universum Ecclesia sensum attendisse.

NIC. Attendit quidem : neque in mentem mihi umquam venit istud diffiteri. Sed quid juvat ad universum Ecclesia sensum attendere , si an aliorum hominum sensus cuim illo consentiat , percipere certò non queat.

PHIL. Nihil quod a te afferam , sed quod a multis.

NIC. Atqui istud percipere certò non potest , nisi certò etiam percipiatur quis sit sensus illorum hominum. Tu , Philadelphe , jam conclude , si velis. Præterea dic mihi , unde compertum habet Synodus , quis sit ille universum Ecclesia sensus , nisi ex significatione verborum?

PHIL. Iterum insolescis , Nicostrate , & triflas attollis. Enerva , si potes , ea quæ tibi cädem pag. 24. dicunt supplicantib[us]. Date ( inquit ) si sola

„ verborum significatio ad definiendum illorum sensum sufficiat ; cur non , & que hæc , *Ego sum vitis vera* , quād ista , *Hoc est corpus meum* , propriè in- telligas? Nobis ratio in promptu est : quia ex revelatione constat , hæc propriè , illa impropriè intelligi oportere.” Ad hæc , Nicostrate , quid respondes? Hic vixtus cogeri campo discedere.

NIC. Quid ais Philadelphe ? An ergo Christus cum hæc verba protulisset , *Ego sum vitis vera* , *Hoc est Corpus meum* , continuò subjunxit : hæc propriè , illa impropriè accipi volo ?

PHIL. Minimè verò.

NIC. Quā igitur fronte affirmant ex revelatione constare , hæc propriè , impropriè illa intelligi oportere? Quamquam quid hæc ego te interrogem? Hic rursus patescit mala supplicantum fides. Uspiamne ego affirmavi solam verborum significationem ad definiendum scripti alicujus sensum sufficere? Etiam adjunctorum habenda ratio est secundūm prudens illud S. Cyrilli monitum lib. 8. thesaufi cap. 2. *Ante omnia , inquit , quando locum Scriptura aliquem recte intelligere voluntis , tria diligenter consideranda sunt : tempus quando scriptum est quod dicitur : persona qua dicit , vel per quam , aut de qua dicitur : & res , propter quam , aut de qua scribitur : sic enim absque errore sensum poterimus verum investigare.* Hic certè nulla fit mentio revelationis. Quam ob rem , Philadelphe , velim consideres , quis hæc de se dicat : *Ego sum vitis vera.*

PHIL. Est Christus ipse.

NIC. Ergo necesse est illud dixerit impropriè , sive ut D. Augustinus loquitur tractatu 8o. in Joan. per similitudinem , non per proprietatem , quemadmodum dicitur ovis , agrius , leo , petra , lapis angularis , & cetera hujusmodi.

PHIL. Sed unde tu habes necesse esse illa intelligantur impropriè seu per similitudinem?

NIC. An tu ex illis es , qui nil nisi Augustinum crepat , & nondum legisti ea , quæ habet de genesi ad litteram lib. 9. cap. 2. *Si in verbis Dei , inquit , vel cuiusquam persona in officium propheticum assumpta , dicitur aliquid quod ad litteram nisi absurdè non possit intelligi , procul dubio figuratè dictum ob aliquam significationem accipi debet.* Atqui hæc verba : *Ego sum vitis vera :* non possunt nisi absurdè ad litteram sive propriè intelligi: Ergo jam vel ex Augustino habes , cur hæc verba impropriè & figuratè intelligantur. Secùs statue de illis : *Hoc est corpus meum :* nam si propriè & ad litteram intelligantur , nihil sequitur absurdum. Philadelphe , hoc te expedire laqueo vales ? Quid files ? igitur tene istud firmiter , Ecclesiam sine ullo erroris periculo sensum scripti alicujus assenti posse ex significatione verborum , ita tamen , ut etiam adjunctorum habeatur ratio , id quod nuper non prætermisi , licet id falso innuant adversarii.

PHIL. Istud quidem admitto, sed cum supplicibus Theologis pag. 25. ad-  
jungo: nisi verba adeò obscura sint; & vel ex institutione, usu, aut consuetudine,  
vel ex aliis adjunctionibus ita dubia & equivocationibus obnoxia, ut verborum sensum non  
intelligatur.

NIC. Puerilis est ista exceptio, & inane Jansenistarum effugium; quod  
antequam præcludam, quaro ego ex te: Continetne liber Jansenii verba  
adeò obscura & dubia, ut ab hominibus perspicacibus, qualcs sunt Ponti-  
fices, Cardinales, & alii S. Officii Consultores, percipi haud queant? Vi-  
de quid respondeas.

PHIL. Nequaquam.

NIC. Assumo: atqui ex sententia supplicantium Jansenistarum potest Ecclesia aut Pontifex sensum non obscurum ita percipere, ut absit omnia erran-  
di discrimen: Ergo nihil obstat, quo minus sensum Jansenii ita percepit.  
Hic captus es.

PHIL. Ah! Nicostrate, lingua fuit nimium præceps. Volebam dicere  
nihil libro Jansenii esse obscurius magisque perturbatum.

NIC. Jocone hoc dicas, an serio?

PHIL. Serio. D. Hieronymus stylo Joviniani accommodabat olim Plauti-  
narum litterarum illud: *Has prater sibyllam leget nemo.* Sed mihi crede Nico-  
strate, illud magis in Jansenii librum quadrat. Usque adeò sunt cuncta te-  
nebris circumfusa plusquam cimmerii.

NIC. Itane verò? Sed ego jam asequi haud possum, cur Fr. Leo, sive  
quicunque alius autor prosecutionis Criseos pag. 20. Jansenium appelleat:  
*Scripturarum elegantem explanatorem, hereticorum expugnatores egregium, virum*  
*ingenio acerrimum, judicio maturissimum, omni literaturā expolitum.* Profectò qui  
scribit tam obscurè, ut ne à viris quidem doctis intelligatur, hisce laudum  
præconiis affici nequaquam potest: etenim scriptor elegans & talis, qualis  
hic nobis adumbratur dux vester & parens Jansenius, oratione suâ lumen re-  
bus adhibere debet, non obscuritatem & tenebras afferre. Deinde, Phila-  
delphe, ego timeo, ne hic tibi irascatur Eximus D. de Swaen, licet sit  
agnos mitior.

PHIL. Qua de causa?

NIC. Quia hic recedis à Majorum tuorum sententiā, quae isti Eximio  
tam cara est, ut à damnando Janseniano sensu vel propter illam abhorreat.

PHIL. An hic ego recedo à Majorum meorum sententiā?

NIC. Quam qui longissime: non enim Majores vestri in Jansenii volu-  
mine agnoverē ullam obscuritatem, ullam tenebras.

PHIL. Somnia. Unde istud, obsecro, tenes?

NIC.

NIC. Quinque illas propositiones in Jansenio ostendebant etiam, libro-  
tomo, & capite assignatis; easque venditabant quasi sanctissima certissima-  
que divina gratia fundamenta, *les plus saintes & les plus constantes maximes de*  
*la grace.* Quid plura? ubi domum redieris, tu ipse consule libellum, qui  
incribitur: *Arcanum questionis facti revelatum per J. D. T. L.* pag. 9. & vi-  
debis olim non tam hoc actum esse, ne Jansenianæ essent 5 propositiones,  
quam ut Augustinianæ essent orthodoxæque.

PHIL. Quid vis inde eruam?

NIC. Hanc conclusionem, Philadelphe: ergo primi illi Jansenianæ factio-  
nis proceres nunquam existimarunt librum Jansenii esse tam obscurum, ut ejus  
sensum intelligere possit nemo. Etenim si hoc existimarent, non nisi stulte  
& quasi cœci de coloribus de eo jam memoratam pronunciassent sententiam.  
Quapropter, Philadelphe, si supplices illi Jansenianæ velint majorum suorum  
stare judicio, necesse est fateantur Jansenii librum intelligentiam Eruditorum  
hominum non excedere, adeoque Ecclesiæ posse sine errati discrimine de  
eo judicare. Quid enim? An quod privati illi Theologi sibi arrogarunt, id  
Ecclesiæ negabitur? Igitur patet Jansenii librum hoc tempore ab illis Proteis  
obscurum dici ad fucum faciendum, & imponendum imperito Theologorum  
vulgo. At verò nolo tecum, Philadelphe, agere tam parcè. Esto sane librum  
Jansenii esse obscuriorem. Quid inde evinces? Agedum, responde tandem  
aliquid.

PHIL. Ergo Ecclesia aut Pontifex de ejus sensu infallibiliter judicare non  
potest.

NIC. Obscuri sunt etiam Sacri Codices: in iis (ut loquitur S. Petrus epist.  
2. cap. 3.) sunt quædum difficultia intellectu, qua indotti & instabiles depravant...  
ad suam ipsorum perditionem. An inde quoque concludas: ergo Ecclesia de Sa-  
cerdotum Codicum sensu judican̄, erratum admittere aliquando potest?

PHIL. Minimè: nam sensus Sacrorum Codicum revelatus est, Jansenii  
non item.

NIC. Et Jansenii sensum revelatum esse jam ostendi. Ostendi etiam vim  
verborum, quibus Sacri Codices contexti sunt, nihil magis revelatam esse,  
quam quibus contextus est liber Jansenii. Sed quid hæc ego argumentor tam-  
diu, præsertim tecum, Philadelphe, qui debes Augustinō esse contentus unō?

PHIL. Quid? An hic tibi, Nicostrate, patrocinatur Augustinus? Hoc ego  
numquam credidero.

NIC. Nihil pro hac causa dici potest clarius, nihil vobis magis noxiū,  
quam ea quæ lib. 1. contra Donatistam Cresconium disputat. Augustinus (uti  
non ignoras) istic contendit baptizatum ab hereticis non debere baptizari  
iterum;

iterum ; & cum hujusce rei in Scripturis Canonicis non inveniret exemplum, cap. 33. ita fatur : *Quamvis hujusce rei de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum : earundem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas , cum hoc facimus , quod universa jam placuit Ecclesie , quam ipsarum Scripturarum commendat autoritas ; ut quoniam Sancta Scriptura fallere non potest , Quisquis falli metuit hujus obscuritate questionis , EANDEM ECCLESIAM DEILLA CONSULAT , quam sine ulla ambiguitate Sancta Scriptura demonstrat.* Vides , Philadelphie , quomodo hic Sanctus tantoque à vobis opere laudatus Doctor , Ecclesiam innuat in questione etiam obscurâ labi non posse , licet de Scripturis Canonicis non proferatur rei controversiae exemplum ?

PHIL. Video , Nicostrate .

NIC. Igitur etiamsi obscura sit hæc de Jansenii sensu questione , tamen in ea falli non potest Ecclesia , & frustra petis tibi hujusce rei de Scripturis Canonicis proferri exemplum . Unde subit mihi repetere hanc Augustini sententiam iterum iterumque : *Quisquis falli metuit hujus obscuritate questionis , ECCLESIAM DEILLA CONSULAT.*

PHIL. Hic tibi Augustinus mirum in modum suffragatur , non inficior . Sed multum dubito , an illa in Augustino habeantur : videntur enim abs te efficta pro libidine .

NIC. An me tuis similem putas ? Age , Philadelphie , è vestigio domum te recipe , & Augustinum assignato loco ipse inspice . Si illa ibi non repertas , causam non dico , quin impostor habeas à que ac Arnaldus ipse .

PHIL. Istud agam sedulo , & revisam te cras .

NIC. Vale , Philadelphie , & cave hic vel transversum unguem ab Augustino discedas .

## CONTENTIO VII.

*Vindicantur ea quæ de mente Bellarmi*n* dicta sunt in nuperis contentionibus.*

PHILADELPHUS. Quam heri , Nicostrate , ex Augustino sententiam attulisti , citato loco reperi , eamque pluribus è nostris jam nunc ostendi .

NIC. Quid aiunt ?

PHIL. Obstupescunt quasi de cœlo ieci . Confidunt tamen futurum , ut Eximii Domini nostri ac Magistri mentem S. Augustini interpretentur & multò quidem commodiūs , quam tu nuper interpretatus es mentem Bellarmi-

Hui !

Hui ! quam ridicula fuit istæ tua interpretatio ! verba tua , Nicostrate , mihi jam quidem exciderunt , sed quandoquidem hic cum Defensore Formulae societatem doctrinae iniveris , ejus verba producam , sicuti pag. 32. referuntur à supplicantibus . „ Hanc esse ais inter questionem de Honorio , & „ questionem de Jansenio disparitatem , quod Concilium ex epistolis Honori „ rii judicaverit , animum ejus fuisse hereticum : Recentiores Pontifices de „ solo libro , de ejus sensu , & propositionibus ex eo deceptis judicarint , non „ de animo Jansenii interno . „

NIC. Sic est , Philadelphie ; neque istius me dicti piget .

PHIL. „ Synodo sextæ ( inquit supplices ) injuriorum est hoc commentum : si enim ex epistolis Honorii judicaverit Synodus , animum ejus fuisse hereticum , temerarium prorsus de animo summi Pontificis tulit jucundum . „

NIC. Non ex solis epistolis animum Honorii judicavit ista Synodus , sed etiam ( ut habet idem Bellarminus . ) ex falsis rumoribus , quos sparserant zemiū Romanæ Sedi . Et ut id ex solis epistolis judicasset ; tamen non processisset temere . Quid enim ? an supplices illi fatibuntur se procedere temere , dum ex verbis meis judicant me sibi adversari , me Jansenianam heresim canepus & angue odissi ?

PHIL. Minime . Secundum illud Matth. 20. *Loquela tua te manifestum facit.*

NIC. An ergo loquela seu epistola Honorii illum etiam manifestum non faciebat ? Si esset opera pretium , possem id pluribus depromptis ex jure autoritatibus patefacere : dicitur enim L. Laberius . idem Tuberius ff. de sup. leg. 4. Verbis sanctis declaratur animus , & talis presumitur , qualem prolati verba significant . Quo codem loco Celsus ex Tuberonis sententia dixit nomina esse , ut demonstrent voluntatem dicentes , & quemquam non dicere , quod non sensit . Et nemo ( ait ille ) existimandus est dixisse , quod non mente agitaverit . Aristoteles cap. 1. periberm . Voces tradit esse signa eorum , quæ sunt in animo ; id quod & Cassiodorus lib. 3. admonuit : nullum est , inquit , majus mentis nostræ testimonium , quam qualitas inspecta verborum . Marcus Tullius lib. 1. de legibus affirmit orationem esse mentis interpretem . Sunt alia sexcenta hujusmodi testimonia atque effata . Et nisi haec & similes juris regulæ admittantur , è medio tollenda est humana societas : quæ enim poterit habeti fides ? quæ ici foedera ? quæ pacta iniiri ? quæ in tribunalibus tum sacris , tum etiam profanis exerceri judicia ? sed Philadelphie , cum me quodammodo invitum ac reluctantem in hunc locum pertraxeris , non possum , quin tibi ponam ab oculis id quod tractatu de Hæreticis num. 602. habet Joannes Royas hereticae pravitatis in Hispania Inquisitor : *Ex verbis hereticis* , inquit ,

N

cen-

censendus est Hæreticus , cum in eis ex VIOLENTISSIMÀ JURIS PRÆSUMPTIONE malus animus , perversa atque impia intentio & credulitas presumatur. Quid jam ait, Philadelphie ? An VI Synodus ex Honorii litteris temerariam de ipsius animo pronunciavit sententiam ? An non potuit ex ejus litteris hæreticum animum præsumere ?

PHIL. Epistolas Honorii catholicas esse Bellarminus magnoperè contendit.

NIC. Id ego Eminentissimo Bellarmino lubens assentior.

PHIL. Quomodo igitur ex epistolis Catholicis hæreticus ejus animus præsumi poterat ?

NIC. Audies Philadelphie. Et ut omni ambiguitate sublatâ de causa melius judicare possis, velim advertas Honorii ad Sergium epistolas alio sensu posse dici hæreticas, alio sensu orthodoxas. Orthodoxæ & dicuntur à Bellarmino & verè sunt, quantum duas in Christo voluntates atque operationes confinentur : hæc enim confessio perfidiam Monothelitarum penitus destruit. At verò quantum duarum operationum Sacras voces damnant silentio, & laudant Sergium noxitatem vocabuli auferentem, possunt dici nascentis Monothelismi faunrices, atque hoc sensu, licet improppio hæretice. Et quod inde consequitur, poterant VI. Synodi Patres Ex violentissima juris presumptione hæreticum in Honorio animum prudenter præsumere. Quippe qui faveat hæreticis, meritò hæreticus haberi potest, præsertim si ita faveat, ut usurpari vetet voces illas, quibus profligatur hæresis. & fides confirmatur orthodoxa. Et verò ut hæc res. illustretur exemplo, ediscere mihi, Philadelphie, si quis de Dei Filio vocem θυος σιος dici prohiberet, aut vocem θεοτόκου de Virgine; nonne Arianum aut Nestorianum animum in hujuscemodi homine prudenter præsumeres?

PHIL. Omnino, Nicostrate.

NIC. Ergo potuit etiam VI. Synodus prudenter præsumere Monothelicum in Honorio animum, quandoquidem sacras duarum operationum voces præceperit obruendas silentio, & illas abolere molientem Sergium tantopere laudarit. Apage igitur istud supplicantium dictum : *Si ex Epistolis Honorii judicaverit Synodus animum ejus suisse hæreticum, temerarium prorsus de animo Summi Pontificis tulit judicium.*

PHIL. Esto hujusmodi judicium ab omni temeritatis nota longissime abesse. Estne certum hoc judicium de animo Honorii latum esse? Sive estne certum, Nicostrate, ipsam Honorii personam percussam esse anathemata?

NIC. Est, Philadelphie. Inspice Synodum ipsam. Inspice Leonis II. epistolam ad Constantimum Pogonatum pro confirmatione Synodi. Inspice ejusdem Leonis epistolam ad Episcopos Hispanie. Inspice Constantini Pogonati Edi-

Edicium, quod legitur post actionem XVIII Synodi VI. Et cernes omni luce clarius anathema dictum esse ipso Honorio, qui flamnam hæretici dogmati, non ut docuit apostolicam autoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovavit. Igitur Honorii inter & Jansenii causam multum interest: nam Jansenii persona parecum volvère Pontifices, licet ipsius dogmata fulminarint.

PHIL. Hic falleris, Nicostrate, aut me fallere machinaris. Audi pag. 34. supplices Theologos ita loquentes: "Confutet hæc pro nobis, & confundat verbis suis ipsa Synodus: *Rertractantes dogmaticas epistolas, quæ tamquam à Ser-gio . . . ad Honorium quondam Papam antiqua Rome: similiter autem & epistolam ab illo, id est, Honorio rescriptam ad eundem Sergium, Hasque INVENIENTES OMNINO ALIENAS EXISTERE AB APOSTOLICIS DOGMATIBUS, ET A DEFINITIONIBUS SANCTORUM CONCILIORUM, ET CUNCTORUM PROBABILITYM PARTIM, SEQUI VERÒ FALSAS DOCTRINAS HÆRETICORUM, EAS OMNIMODE ABJICIMUS, ET TAMQUAM ANIMAS NOXIAS EXECRAMUR.*" Quæ tibi, Nicostrate, nunc surgit sententia? An adhuc negare ausis Honorii litteras damnatas esse?

NIC. Usipiamne ego, Philadelphie, negavi damnatas esse à VI. Synodo Honorii litteras?

PHIL. Loco jam citato intrepidè afferunt supplices id nuper abs te negatum esse Contentione 3. pag. 18. & 19.

NIC. Hic iterum fallunt turpiter: allegato enim à supplicibus loco hæc habeo: *Juxta Bellarminum querebatur in VI Synodo, an Honorius fuisset hæreticus, falsum aliquid contra fidem perinaciter credendo . . . an simile aliquid querebatur de Jansenio? de libri dumtaxat seu scriptoris sensu mota lis est, non de persona Jansenii; parcum persone volebant Pontifices, doctrinam hæreticam damnatam. Huc hominum non Jansenistarum fidem. Hoccine est dicere Honorii epistolas non esse afflatas ullo fulmine? Prius, Philadelphie, è Scarabeo mel, quam hoc ex meis dictis clicias: quippe qui affirmat ipsam Honorii personam damnatam esse, illius epistolas damnatas esse non negat. Sed age, lapsum tam secundum condonemus Jansenianæ cætitati. Aio ego Honorii ad Sergium epistolam in VI. Synodo damnatas esse, idque arctè teneo. At enim non affirmavit Bellarminus, potuisse Synodum errare in condemnandis epistolis.*

PHIL. Quæ igitur in re errare Synodum potuisse affirmat?

NIC. Jam dixi sacerdos. In declarando hæretico ejus animo: nam etiam si litteræ illæ, ut soñant, nascentem Monothelismum foveant, & ceu tales meritò & sine erroris discriminatione damnentur: tamen orthodoxo animo casib[re] potuit Honorius & pacis studio. Atque in hoc de animo ejus judicio errare secundum Bellarminum potuit Synodus, non in alio illo, quod de litteris ipsius exercebatur.

PHIL.

PHIL. Dicit tamen Bellarminus : *Tuū dicere possumus hoc, Patres deceptos ex falsis rumoribus, & non intellectis Honorii Epistolis.* Ergo affirmat Synodus in judicio quod fiebat de Epistolis ipsis, errare potuisse.

NIC. Illa Bellarmiī verba nuper Content. 3. sat clārē explanavi : tamen cum tibi recōcta crāmbe non pariat nauſeam, non gravabor ea explanare iterum. Quando dicit *Patres deceptos ex falsis rumoribus, & non intellectis Honorii Epistolis*, nihil aliud vult quām Patres non intellexisse, quo animo de duabus Christi voluntatibus atque operationibus indixerit Honorius silentium. Quod quia animo hæretico fecisse eum & ex falsis rumoribus acceperant, & ex scriptis præsumebant, Honorium cum hæreticis connumerarunt. Sed nūl tale esse in causa Jansenii quis non videat? Non enim personam Jansenii umquam in numerum hæreticorum Sedes adscripsit Apostolica.

PHIL. Næ tu lynceus es, qui mentem Bellarmiī tam clārē perspicias. Q si hæc publicè in Hallis coram braccata Doctorum turba effutires, qui risus hominum de te essent! qui cachinni! Nostri profecto fungere egregie.

NIC. Fingi ista putas? non aliam hīc posse esse Bellarmiī mentem, liquet ex ipsis verbis: non enim dicit *hos Patres inter alium Hæreticorum scripta immerito connumerasse non intellectas Honorii Epistolas* (quod tamen si hīc vobis patrocinaretur, dicere deberet) sed tantum dicit: *hos Patres deceptos ex falsis rumoribus, & non intellectis Honorii Epistolis, IMMERITO CUM HÆRETICIS* (quorum nomina jam erasa erant ē sacris Dyptichis, adcoque quorum personæ dāranatæ erant hærescos) CONNUMERASSA HONORIUM, hoc est, ipsam Honorii personam. Et quamvis (uti ostendi nuper) Autor non raro accipiat pro libro: tamen hæc loquendi ratio favere desperatæ vestre causa, non potest propterca, quod Bellarminus Honorii epistolas ab Honorio satis superque distinguat. An vis plura, Philadelph?

PHIL. Volo.

NIC. Id ipsum liquet etiam ex serie & contextu totius disputationis, in qua hoc unum querit, an Pontifex hæreticus esse possit *falsum aliquid contra fidem pertinaciter credendo*.

PHIL. Id aī quidem, Nicostrate, sed non probas.

NIC. Igitur aīces arrige, vel cedo poties, amabo Philadelph, nonne citato à supplicibus loco, nimirum lib. 4. de Romano Pontifice cap. 6. sive disputationis caput Bellarminus hoc posuerat: *Probabile est, pieque credi potest, summum Pontificem non solum ut Pontificem errare non posse, sed etiam ut particula-rem personam, hæreticum esse non posse. FALSUM ALIQUID CONTRA FIDEM PER- TINACITER CREDENDO?* Locum ipsum consulo, enī jacet Bellarminus in mensa explicatus.

PHIL. Verum prædicas, Nicostrate.

NIC. Verte jam folium, & lege hujus positionis probationem alteram.

PHIL. Secundo probatur ab eventu: nam hactenus nullus fuit hæreticus... Ergo signum est non posse esse.

NIC. Ergo (ut vides) aliud nihil hīc pugnat Bellarminus, quām nullum umquam Pontificem fuisse hæreticum in animo *falsum aliquid contra fidem pertinaciter credendo*. Et quoniam multi tum heterodoxi, tum etiam Catholici, non paucos Pontifices ut hæreticos criminantur, disputationem ducit per longam seriem istorum Pontificum; sed in primis cap. II. (non 12. ut male citant adversarii) pro Honore certat acriter, argumentis (ut videre ipse potes) docens non levibus, vitiata mētē ab hæreticis VI. Synodum.

PHIL. Hactenus retulisti omnia fideliter. Perge porto.

NIC. Postea (sicuti in hujusmodi disputationibus fieri assolet) tantisper dissimilat non esse vitiata Synodum, & indicat illam errare potuisse in facti quæstione, quā quærebatur, an Honoriū fuisse in animo hæreticus *falsum aliquid contra fidem pertinaciter credendo*. Atque hæc est illa quæstio, in qua errare potuisse Concilium Bellarminus affirmat, non alia illa, quā, quis sit libri epistolarum fensus, quæritur. Imō verò si hic posteriorem illam quæstionem intellexisset; mihi crede Philadelph, saltasset extra chorūm: neque enim quidquam faciebat ad institutum.

PHIL. Nuper, Nicostrate, mecum agebas liberalius. Dabas mihi fieri potuisse, ut Epistolas Honorii absolute non intelligeret illa Synodus, quia Graci homines & latīnæ locutionis ignari facile potuere decipi à malefido interprete.

NIC. Multū dubito, an id tibi nuper concesserim. Memini quidem me pag. 19. dicere: *Affirmaverit sané Eminentissimus Cardinalis fieri potuisse, ut Epistolas Honorii non intellexerit VI. Synodus;* Sed hoccine est dicere id fieri absolute potuisse? Ne de lana caprina moveamus rixas, hoc ego tibi concedam hodie. Expende, Philadelph, quām ego liberalis in te siem.

PHIL. Injuriousum rursus (ut pag. 33. habent supplices) sexta Synodo commen-tum! Quasi Synodus ista generalis unius Translatoris fide steterit; & in toto Concilio fuerit nemo, qui posset de sincera translatione judicare. Siccine procederet Synodus generalis? Siccine procederet ubi agitur, de condemnando Summo Pontifice? Siccine ubi vel absolvendus vel condemnandus de hæresi Summus Pontifex? Siccine unius Translatoris fide forte indocti, forte infidi, forte malevoli, forte Honorio occulte inimici Synodus sexta generalis Pontificem hæreticum declarare?

NIC. Hīc jure merito, Philadelph, possim uti iis verbis, quæ in me impiam Domini Malpaix exclamacionem exclamatio[n]e contraria excipientem

perperam intorquent supplices pag. 26. Non terrent nos pueriles ejusmodi exclamationes : solidior est responsio , quam ut posse inahi ( addam ego , hypocritica ) verborum exaggeratione moveri. Possim hic iterum eos arguere perfidiae : ubi enim ego , Philadelphie , afferui VI Synodum unius interpretis fide stetisse ? Volve & revolve contentionem 3 totam , istud à me dictum esse numquam reperias.

PHIL. Quotiescunq; Nicostrate , harum Epistolartum incidit mentio , Interpretem dicas singulari numero. Tu ipse tua dicta recole pag. 21 & 22.

NIC. Ridiculum profecto arguendi genus ! Lib. 2. Aenidos ait Virgilii : *Venerisque armato MILITE complent*. Ibidem : *Hostis habet muros*. Lib. 6. *Aeneus regere imperio populos ROMANE memento*. Lib. 4. Trist. habet Naso : *MILES io magnâ voce triumphe canet*. Est etiam apud Livium : *ROMANUS prælio vîctor* , &c. An ergo illi omnes unum dumtaxat militiem , unum hostem ; unum Romanum dixisse censendi sunt , eo quod non adhibuerint numerum multitudinis ?

PHIL. Nequaquam , Nicostrate : nam memorati Autores usurpant figuram illam , quæ vel ex uno plures significantur , & quæ solet reduci ad Synecdochen.

NIC. Hic ego eandem illam figuram usurpo , quod patet tum ex se , tum ex iis verbis , quæ ibidem pag. 22. ex S. Maximo allego : *Vira harum litterarum verior certiorque interpretatio habenda est* , ejusne scriba , qui nomine Honorii illas scripsit . . . . an CONSTANTINOPOLITANORUM Civium. Et numerum multitudinis . . . . Et tamen hæc non intellexere supplices Janseniste . O incredibilem hominum stupiditatem , præcipue vero Poëastri Opstrati ! hic saltet , utpote qui tot annis in Collegio novo politiores litteras docuit , illius figura indolem ignorare non debuisset.

PHIL. Ne quid nimis , Nicostrate. Hanc figuram satis intelligent supplices : non enim fungi sunt aut caudices.

NIC. Quid agis , Philadelphie ? fumum fugiens in ignem incidiisti : nam ego sic infero : ergo supplices illi malevoli sunt. Quid enim magis malevoli sunt , quam intellecta aliquibus verba in alium detorquere sensum , idque ut de misero Nicostrato videantur reportasse victoriæ ? Hic ego penredo animi. Malevolosne dicam supplices , an stupidos ? Utrum mavis , Philadelphie , elige. Tibi datur optio. Figurant illam supplices vel intellexerunt ; vel non intellexerunt. Si non intellexerunt , stupidi sunt ; si intellexerint , malevoli. Quid files ? alterutrum elige.

PHIL. Videor hydram secare : dum enim unum studio vitare incommodum , aliud atque aliud incurro. Superi illum male perduint , qui illas dialecticas criticas in Theologiam primus invexit.

NIC. Hæc est antiqua hæretorum cantio. Sed mihi Philadelphie , non possum non rursus esse in te liberatori. Agendum , finge dixisse me , uniusinterpretis

terpretis fide stetisse Concilium. Quidquamne inde erues ?

PHIL. Id nullam habet verisimilitudinis speciem.

NIC. Antiquitatis planè imperitum te præbcs , dum ita loqueris : non enim videris scire Diopolitanam Synodus unius stetisse fide interpretis , & ob latine lingue ignorantem à Pelagio fuisse deceptam.

PHIL. Hoc verum esle quomodo ostendes ?

NIC. Ex Augustino ipso , qui Pelagium hujus Synodi sententia intolerantissimè gloriantem ita alloquitur lib. de peccato originali cap. 16. Credimus es sentire laudanda , cum te judices (Diopolitan Patres ) non intelligerent. Eadem de causa Hieronymus illam Synodus miserabilem appellat.

PHIL. Provincialis fuit Diopolitana Synodus , & è quatuordecim tantum Episcopis Græcis coacta ; at Synodus VI. fuit œcumonica "Cui intererant Latini non pauci , quos petente Constantino Imperatore , miserat Agatho Pontifex. Cum enim Imperator rogaret Agathonem , ut Oecumenicum Concilium Constantinopoli cogeretur ; annuit Pontifex , & habitâ Romæ Synodo centum & viginti Episcoporum Legatos , qui ejus nomine Concilio praessent , Constantinopolim quatuor misit , Theodorum & Georgium Presbyteros , Joannem Diaconum , & Constantium Hypodiaconum. Convenerunt ad eandem Synodus Joannes Portuensis , Abundantius Paternensis , & Joannes Reginensis Episcopi , nomine Romanæ illius Synodi sub Agathone ; & cum iis Theodorus Presbyter , loco Theodori Ravennatis Episcopi. Præter hos interfuerunt Monachi plures , Latini utique & ex Occidenti missi. Et post hos omnes . . . . unius Translatoris fide , Nicostrate , nixa est sexta Synodus ?

NIC. Hoc non mirareris tantopere , Philadelphie , si Anastasium Bibliothecarium præstatione in sua ad Joannem Collectanea vel vidisces : *Quis erit* , inquit , qui nolis dicat , utrum ipse (Honorius) pro certo dictaverit epistolam , de qua illum anathematizandi solum item columnatores suscepint , cum & ex scriptoris vel indiscretione , vel in Pontificem odio , quid contingere tale potuerit. Sed quid me vexo ? Fueritne unus tantum , an plures interpretes , parum interest , modo infidelis fuerit interpretatio.

PHIL. An infidelis fuerit , quis nobis ediferat ? Nam historia illa tanto temporum intervallo à nostra ætate distat.

NIC. S. Maximus Martyr. Hic in epistola ad Marinum , quæ extat inter Collectanea Anastasi , afferit Honorium numquam in sua Epistola mentionem fecisse unius in Christo voluntatis , licet hoc nunc fictum sit ab his , qui hanc in Græcam vocem interpretati sunt.

PHIL. Hoc ego non capio. An non ergo qui aderant Patres Latinis potuerunt tam nefandam fraudem detegere ?

NIC.

NIC. De Patribus Latinis redit quæstio: quippe quemadmodum queritur an Patres Græci fuerint satis Latine periti, ita etiam queri potest an Latini Patres satis periti fuerint Græcè, ut de fideli interpretatione potuerint pronunciare sententiam. Certè ad hujusmodi sententiam pronunciandam linguæ utriusque periti opus est non vulgari. Sed ut iterum aliquid merè in te certosque supplices Jansenistas liberalitatis specimen præbeam, demus potuisse.

PHIL. Si potuerint, cur igitur fraudem non detexerunt? cur permiserunt damnari Honorium?

NIC. Pro me respondentem audi Bellarminum ipsum: Respondeo, inquit, id factum esse ad evitandum maius malum: verebantur enim, si reclamarent, ne impeditur definitio recta fidei, & non posset tolli schismata, quod annis LX jam duraverat: nam damnabantur in eo Concilio Patriarcha multi Constantinopolitani, Alexandrini & Antiocheni; quorum successores non facile acieviissent, nisi etiam Honorius dannareatur, qui una cum illis accusatus fuerat. Igitur hic habes, quare fraudem illum non detexerint, etiamsi forte potuissent.

PHIL. Hæc enimvero clara est responsio.

NIC. Hic aliquem adjungere, esset solem adjuvare facibus: Ego tamen, Philadelphus, qui D. Augustini & discipulus sum & filius, hic non possum præterire, ter Eximium P. Christianum Lupum Bellarmino plane consentientem. Hic in Scholiis & notis ad Canoncs Concilii VI pag. 859. sic loquitur: *Duplicia mandata habuerunt legati ad presentem Synodum. Publica seu parentalia mandabant damnari solas à Martino I. aut Agathone Papa damnatas personas, lucideq; eximebant Honorium. Verùm quid si orthodoxi Græcorum Episcopi illum in profanis hereticorum Dyptichis ubiq; radiantem velint damnatum, alias in Ecclesiarum pacem non consensuri? Eum quippe ut suum ebuccinarent ubiq; mendaces Monobelitæ (hæc in re Jansenianis perquam similes) & plurimis etiam orthodoxis persuaserant. Hoc ergo in casu secreta Legatorum instructio cum dispensatoriè damnari & pro plurimorum salute immolari, utpote quid aliqd cause dederat, permisit. Et ita est omnino factum. Ecq; omnino respexit Adrianus II aiens Honori post mortem dictum anathema, non ab universa Ecclesia, sed ab Orientalibus: Romana namque & omnis Latina Ecclesia ad anathema istud dispensatoriè solummodo tacuit & disimulavit. Et hinc ipsum suis Synodi confirmatoriis litteris inseruit Leo II.*

PHIL. Hæcine habet Eximus Lupus. Vix equidem credo.

NIC. An fallere me putas, sicut tuos supplices, dum perfrictâ fronte affirmant à Bellarmino dici eodem fundamento circa Honori litteras deceptos fuisse Leonem II Adrianum II & Patres Synodi VII?

PHIL. Atrox, Nicostrate, fuit ista in viros integerrimos calumnia. Sed bene habet. Illam diluerunt probè pag. 36. ubi se ne per umbram quidem fefellisse demonstrant.

NIC. Demonstrant? Tantum abest, Philadelphus, ut quæ ego alias Content. 3. & defensor Formulæ cap. 6. hæc super re dissenserimus, ea infringant aut debilitent, ut potius ostendant frontem se habere meretriciam nestiam erubescere, quod ipsis exprobravi.

PHIL. Vah! Nicostrate, post tam salutare supplicantum monitum adhuc evomere ista audes? Os infrunitum?

NIC. Dictum oportebat eos nullam habere frontem. Sic enim ducem habuissim S. Augustinum contra Julianum lib. 4. cap. 3. Possumus, inquit, dicere HÆRETICORUM frontem non esse frontem, si non membrum quod fecit Deus, significare intelligamus frontis nomine, sed pudorem.

PHIL. An tu supplices Theologos hæreticos existimas?

NIC. Chalcedonenses Patres Theodoretum habuerunt hæreticum, quamdiu detrectabat dicere anathema Nestorio. Ne actum agam, adi contentiæ ultimam, ubi hoc nuper probavi fuisse. Percunctare, Philadelphus, ex tuis supplicibus, cur ad hoc nihil respondeant.

PHIL. Faciam, Nicostrate. Illos adibo è vestigio.

NIC. Ego certè non video, quæ possint Belgii Episcopos exacti perjurii reos agere, nisi Chalcedonensis aliorumque Conciliorum patres eodem condamnent crimine.

## CONTENTIO VIII.

*Leviter perstringitur supplicatio Eucharistica, & ea, quæ dicta sunt de Baronio, fortiter vindicantur.*

PHIL. Salve, Nicostrate.

NIC. Et tu tantumdem, Philadelphus. Convenistin' supplices?

PHIL. Conveni quidem aliquos, sed cum illos in gravissima negotia intentos cernerem, nolui sciscitari id quod ita ardes cognoscere. Vercbar, ne tam intempestivâ quæstione illis bilem commoverem: ut enim est apud Isocratem, τὸ ἀκαρπόν, πανταχθὲ λυπηρόν. Intempestiva ubique molesta sunt. Sed vide, quid mihi dederit unus è supplicantibus. Est supplicatio Eucharistica ad Innocentium XII. Pontificem maximum pro abrogatione Formularis in Belgio.

NIC. Illam vidi jam dudum. Enimvero male ominatum est istud scriptum: nam priusquam lucem aspiceret, à me protritum est in Contentionibus numeris. Contentiæ ultimam vide, cui præfixi hunc titulum: *An, si Ponitifex permetteret non jurari in prescriptam formulam, sequeretur illicitum esse tale judgmentum dicere.*

P

PHIL.

PHIL. Ut ut est , Nicostrate Romæ antiquata est jurandi formula : ita enim ibi aiunt supplices.

NIC. Negat Amplissimus D. Martinus Steyartius : nam in thesibus , quibus Lovaniæ præsedidit 25 Octobris 1692 , hoc ponit corollarium : *Præsumtuosa ( an desperabunda ? ) certè MENDAX est , triumphumque canit ante victoriam , qua hodie circumfertur SUPPLICATIO EUCHARISTICA de abrogato formulari.* Pace tuâ , Philadelphie , in hanc rem ego accommodarim id quod lib. 3. cap. 7. de fiducia sui narrat Valerius Maximus. Æmilius Scaurus cui nihil erat veritate antiquius , pro rostris accusatus à Vario Sucronensi suspectæ fiduci homine , quòd à Rege Mithridate pecuniam accepisset ad prodendam Rempublicam , in sui defensionem aliud nihil dixit , quàm : *Varius sucronensis Æmilium scaurum regiâ mercede corruptum Imperium Populi Romani prodidisse ait ; Æmilius Scaurus negat. Utri creditis ?* Ita etiam : supplicantes Theologi formulam jurandi Romæ abrogatam esse aiunt ; Amplissimus Steyartius negat. Utri credimus ? Certè supplices illi Jansenista Parthis mendaciores inventi sunt non selen , Steyartius numquam , imò verò ipsi de veritate antiquissimum est. Itaque quemadmodum Romanus popul. s Æmilio Scauro credidit , sic multò magis nos credamus Steyartio. Quamquam vir ille Amplissimus id non nundè afferat more Jansenistico , verùm etiam probet : sic enim Corollarium istud prosequitur : *Patet ex Brevi Apostolico die 27 septembri adeoque recentissimo , quod & alia habet grata bonis futura. Et ( si quid hoc etiam ad rem facit ) Ego , Philadelphie , illud Breve Apostolicum hisce oculis legi. Procul igitur à veri amantibus supplicatio Eucharistica amandetur.*

PHIL. Siccine , Nicostrate , scientiâ tuâ historicâ ad calumniandum abutris ? Malim ego antiquitatis scientiam omnem amittere. At nil miror jam , quòd me mosque tam atrociter calumnieris , cum Eminentissimum Baronium injuriâ lacescere non extimueris.

NIC. Quà ego Baronium lacescivi injuriâ ? Imò verò vos Baronium atrocissimâ injuriâ lacesritis , ubi eum facitis perditæ vestræ causæ patrocinari.

PHIL. Quà injuriâ lacesciverit Baronium , Innocens-Nicostratus rogat. An non in nupera Contentione 4. pag. 26. hæc ais : *Baronius erat totus in defensione Honorii . . . . igitur nil mirum est in tanto Honorium propugnandi impetu verbū elapsum esse duriusculum ?*

NIC. Aio. Quid tum ?

PHIL. En injuria , quà à te lacescitum Honorium supplices affirmant.

NIC. Hic mihi risum , potius movent quàm stomachum. An injuria est mortalem hominem æstu disputationis tantulum abripi ? Certè id sine culpa etiam levi fieri potest. Sed pax tu , Philadelphie , homo oblivious es ; quia jam

jam nunc oblitus es , quod dixi nuperimè , „ hoc idem contigisse Augusti , no aliisque SS. Patribus , cum adversus Ecclesiæ hostes pugnam conse . „ rarent.

PHIL. Charybdim vitare cupiens in scyllam incidis : sic enim ( ut pag. 40. dicunt supplicantes Theologi ) „ non Baronium solum aggrediris , sed & „ sanctos Patres.

NIC. O teneræ Jansenistarum auriculæ , quæ hoc non ferunt ! sed nonne norunt supplices illi homines se hîc cum Calvinô consentire ? lib. 3. in Pighium gravis , inquit , S. Augustino fit injuria , cum ita pugnandi cupiditate inaluisse dicitur , ut contrarium in errorem propenderit.

PHIL. Calvinus hîc rectè sentit , atque adeò hîc possim meritò usurpare illa verba , quæ lib. 8. de grat. Christi cap. 21. col. 88r. profert vir ille immortalis Jansenius , paululum tamen immutata : *Non propter Calvinum nobis indignandum est , sed propter inventam veritatem Calvinus potius gratulandum.*

NIC. Ergo tibi certum est sustinere me hîc SS. Patribus fecisse injuriam ?

PHIL. Eit : neque enim vel transversum unguem à Magistrorum meorum recedam sententia. Age tu quidquid libitum fuerit.

NIC. Unâ scipiâ , Philadelphie , quot viros denigras ! quos ac quales Fidei Catholicae vindices !

PHIL. Quos , obsecro ?

NIC. In primis fortissimum illum Calvini débellatorem Nicolaum Romanum , ex quo fermè ea deprompsi , quæ hîc Theonino dente arrodunt supplices. Verba ipsius referre jam mihi non est in promptu. Si placet , tâ ipse cum lege pag. 689. in Calvini nova effigie.

PHIL. Egregium enimvero Fidei propugnatorem memoras.

NIC. Quid ita ?

PHIL. Jesuita fuit Romæus , atque adeò si fides habenda est Dominô Malpaix pro meliore causa non indecoro exuli ( ut profecto habenda est ) fuit Dæmonis Religiosus : sic enim de Jesuitis scribit : *Ces malheureux Religieux du demon.*

NIC. Hanc ego tuam impudentiam , Philadelphie : sed satius est justam ixam compescere , quo supplices illi tui confutentur inclîns. Quam ob rem alios quoque in medium adducam. Prodeat itaque illum Sorbonæ lumen & Galliæ Decus Gilbertus Genebrardus Archi-episcopus Aquensis. Hic saltem non fuit Jesuita : tamen in epistola ad Carolum IX quam editioni Origenis anno 1574 præfixit : *Augustinus , inquit , fuit iniquior interdum libero arbitrio , quod Pelagianos haberet in procinctu nihil aliud extollentes , quàm vires arbitrii , Dei autem gratia minimum tribuentes.* Placetne etiam audire Sextum Senensem ?

PHIL.

PHIL. Audiam.

NIC. Hic in prefatione in librum S. Bibliothecæ & universum illud afferit SS. Patres sèpe, cum unum errorem impugnarent, in oppositum inclinasse, & ironimaticam de Augustino ita pronunciat: *D. Augustinus dum toto spiritu ac verbo- rum ardore pro defensione divina gratia pugnat adversus Pelagianos, liberum arbitrium cum iniuria divina gratia extollentes, in alteram quasi foveam delabi videtur, minusq[ue] tribuere, quam pars sit hominis voluntati.* Ita etiam scribit acerrimus Calvini debellator Claudio de Xaintes Ebroicensis Episcopus in libello Athecismorum Calvini. Ita ejusdem Calvini hostis Albertus Pighius lib. 3. de libero arbitrio. Ita Hieronymus Osorius Sylvensis Episcopus lib. 9. de justitia. Ita Joannes Fabri Episcopus Vienensis hom. 9. de peccato originali. Ita doctissimus Cornelius Muslus Episcopus Bituntinus in cap. 5. Epistolæ ad Romanos. Ita Angelici Doctoris Commentator non ignobilis Thomas de Vio sive Cardinalis Cajetanus ad quæst. 70. primæ partis art. 3. Ita Romanæ purpuræ decus aliud Jacobus Sadoleitus lib. 2. epist. 5. Atque hanc fuisse communem sententiam eorum, qui sua ætate in scholis regnabant Theologicis docet Erasmus præfatione in S. Hilarium. Consentiant quoque Doctores illi Parisienses, qui anno 1571 opera S. Augustini apud Guilielnum Merlin & Sebastianum Nivellum edenda curarunt. Horum omnium verba longum est referre. Satis sit locos tantum indigitas. Theodoreti verba dedi nuper, ut etiam venustam illam perque elegantem similitudinem, quā hanc rem illustrat. Eandem illam incurva plantæ similitudinem adhibet Genebrardus, adhibet Sixtus Senensis locis à me ante assignatis. Et si lubet, adi quoque Auratum paradoxo 48 hanc super re fusissimè differentem, Quid, Philadelphie, jam iudicas? An supplices illi Janseniste me de illata Patribus injuria postulare possunt, nisi de eodem crimine postulent tot Doctores, tot Episcopos, tot Eminentissimos S. R. E. Cardinales? Vide quid dicas: utrobique par ratio est.

PHIL. Fortasse ignorabâne supplices te ex tot doctissimorum hominum loqui sententia.

NIC. Id equidem satis crediderim: neque enim mihi videntur tam erudit, ut ista légerint. Eapropter quod hic me & tot alios Fidei Romanæ vindices tam iniuste criminentur, signosco inficiantur. Sed penè fueram solite meæ liberalitatis immemor. Nihil tamen Philadelphie, hic iterum agam liberaliter?

PHIL. Volo quidem, sed quid facies?

NIC. Finge tu (id quod est falsissimum) sed finge, inquit, me hic Patribus summam fecisse injuriam. Tamen qua me fronte supplicantes illi Jansenista incusare sustinent? Ego certe a Magistro meo audivi puer illud Plautinum: *Qui alterum inusitat probri, ipsum se intueri oportet.*

PHIL.

PHIL. Exspecto quorū ista evadant.

NIC. Supplices tui Magistri in eodem hæsitant luto: Jansenius enim tom. I. de hæresi Pelagiana lib. 7. cap. 4. col. 404. & 405. Non pauca, inquit, paf- sim in scriptis Parrum, maxime Gracorum occurunt loca, que Massilienium sententiam in exteriori cortice præ se ferunt.... occurrit inter primos Hieronymus, qui sententiam illam ita clare diserteque proficitur, ut non videam, quo pacto excusari posset. Philadelphie, quid tandem erit SS. Patres aggredi & injuriæ incessere, si hoc non est? Sed nondum dixi omnia. Tom. 3 de grat. Salvat. lib. 3. cap. 20. col. 369. & 378. sic loquitur: *Quid iuvat, quod istum sensum Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus, atq[ue] Graci secuti esse dicantur, cum nulli imperfectius de gratia, quam Greci locuti sint.*

PHIL. Siste, Nicostrate: non enim propter Jansenium arguendi sunt supplices Theologi.

NIC. O Philadelphie, & huc Patrem sequuntur æquis passibus. Eximum Hennebellum S. Salesio Semipelagianismi notam inuississe quis ignorat? Sed festinemus ad Opstratum: Hic in dictatis publicis de grat. quæst. I. cap. 4. §. 4. Patres, inquit, & Doctores tum Greci, tum Latini ante hæresim Pelagii aliter de gratia scriperunt, quam Augustinus. Idem ibidem: *Traditio Ecclesiastica de gratia sumenda non est ex Patribus, qui hæresim Pelagii antecesserunt.* Antea ibidem §. I. dixerat: *Traditio Ecclesiastica circa efficaciam gratia altius repetenda non est, quam à seculo quinto, quo hæresis Pelagiana nata est & à S. Augustino refutata.* Ait ibidem: *Non opus est in materia de gratia ad ullos Patres ante Augustinum recurrere.* Relege etiam quæ habet in Theologo Christiano pag. 77. 78. & 79. Inter alia hæc effutit: *Quod si objiciantur Patres ante Augustinum, respondendum: Quid opus est, ut ipsorum scrutemur opuscula? &c.* Et tamen hic supplicantum scriba audet me damnare factæ Patribus injuriæ, quod quidem mihi videtur esse extreme amentiæ: quid enim amentius esse potest, quam alteri crimen objicere, cuius ipse reus es, & magis quidem? Hic locum habet id quod juvenalis canit in Satyra:

*Loripedem rectus derideat, Ethiopem albus.  
Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?  
Quis caelum terris non misceat, & mare cœlo  
Si fur displaceat verri, homicida Miloni?  
Clodius accuset mæchos, Catilina Cethegum?  
In tabulam Sulla si dicant discipuli tres?*

PHIL. An igitur tu te reum agnoscis?

NIC. Minime. Sed volui istud à te tantisper fangi, quo magis patesceret hominum illorum stupor: Ego enim non magis injurius fui Patribus, quam quos

Q

quos jam memoravi Fidei Catholice propugnatores.

PHIL. Tu te ipse absolvis, sed an à nostris ita absolvendus sis, est cur dubitem.

NIC. Absolvere me debent, nisi iniqui sint in me judices: etenim si Pates, Sanctissimi illi homines, exhausta jam telis pharetrā, in adversarios miserint quidquid fors offerebat, & præ vincendi ardore plusculum interdum dixerint, quām voluerint intelligi, quid piaculi est hoc dicere de Baronio?

PHIL. Quidquid dixeris, Nicostrate, ridicula est illa tua responsio: Baronius dixit aliquid amplius, minus voluit intelligi.

NIC. Tamen de prompta est ex Doctore Seraphico Bonaventura: Hic in 2. sent. dist. 33. q. 2 a. 3. ad illud quod objicitur ex Augustino, nimis quod infantes sine Sacro lavacro vitâ functi, igne crucientur, ita respondet: *Dicendum, quod Augustinus verbis illis non intendit, quod parvuli sensibiliter crucientur, sed intendit eorum pœnam manifestare, quantum ad carentiam visionis Dei, & quantum etiam ad utilitatem loci.* Et hoc valde abundanter (Augustinus) exprimit, PLIUS DICENS, ET MINUS VOLENS INTELLIGI. Nec sine causa loquitur sic: hoc enim facit ad extirpandam illam heresim, qua dicebat parvulos nullā pœna puniri. Unde sicut in moribus documentum est, quod qui vult ab uno extremorum perire ad medium, quasi debet declinare ad illud extreum, sicut docet Philosophus: *Sic etiam Beatus Augustinus, ut illam heresim extirparet, qua dicebat parvulos ab omni pœna immunes, ut ad medium reduceret, videlicet ad pœnam carentia visionis, simpliciter assert eos cum aliis peccatoribus aeternaliter damnari.* Huc tuam fidem, Philadelphie; an hæc S. Bonaventurae responsio non est similis meæ? Igitur si mea, te judge, ridicula est, etiam Bonaventurae responsio, te judge, ridicula sit oportet.

PHIL. At tu, Nicostrate, aperte satis (ut pag. 40. loquuntur supplices) concedis Baronium nobis verbis consentire, quamquam putas eum dissentire mente, dum minus voluit intelligi, quām reverè dixerit.

NIC. Ergo etiam aperte satis concedit Bonaventura, Augustinum sibi verbis dissentire; quamquam putet eum consentire mente, dum minus voluit intelligi, quām reverè dixerit.

PHIL. Mensem Baronii (inquiunt supplices) nullis verbis aut signis expressam, & in mente tantum Nicostrati latentem habeat sibi cum suis Nicostratus.

NIC. Mensem Augustini nullis verbis aut signis expressam, & in mente tantum Bonaventura latentem habeat sibi cum suis Bonaventura.

PHIL. Augustinus (ut ait ibidem Bonaventura) istum suum intellectum explanavit in Enchiridio, ubi dixit pœnam eorum esse mitissimam.

NIC. Baronius suam mentem seu istum suum intellectum explanavit, ubi subdit: *At ista dixerimus, ut quaquaverum offenderemus Honorum omni ex parte ab herefis*

*heresis vindicatum errore: cum tamen numquam prouersus rem tales Synodo maxime indignam, tot refragantibus testimoniosis, eidem adscripterimus.* Hisce profecto verbis satis innuit se necessariae defensionis limites excessisse. Viden, Philadelphie, quomodo omnia congruant?

PHIL. Ah! utinam hic aliqui è nostris Doctoribus adessent!

NIC. Idem & ego expeto: possem enim instare acris, & plus absurditatis detegere: quippe non, sicut tu facis Philadelphie, illi concederent S. Augustinam istum suum intellectum explanasse in Enchiridio, sed mallent alii quam Bonaventurae maculam aspergere, quām consiteri immitem suam de parvolorum pœna opinionem hic ab Augustino deserit. Quod si facerent, pœnas mihi quām graves darent?

PHIL. De his jam satis multa, Nicostrate. Redeamus ad rem.

NIC. Ut placet, Philadelphie. Itaque (quod est nostrarum contentionum omnium caput) Ecclesia aut Pontifex, ubi scripti cuiuspiam sensum definit, in nullum erroris discrimen adducitur; adeoque tuto credere possumus sensum 5 propositionum hereticum volumine Jansenii contineri. Hoccine tu, Philadelphie, jam tandem credis? Si credis, quid causæ est, quo minus id te credere interposita jurisjurandi religione affirmes?

PHIL. Audiemus te de hoc iterum.

NIC. Non poteris, Philadelphie. Fato enim nescio quo vocor in Galliam. Discedam die crastinâ.

PHIL. In Galliam?

NIC. Ita Philadelphie, tanto locorum intervallo disjungimur. Fieri tamen potest, ut illi, quorum interest, ab incepto itinere me revocent.

PHIL. Quid si supplices Theologi te interim aggrediantur scripto aliquo acriori?

NIC. Istud ab Amicis ad me mittetur quanto cyclus. Et ego tibi tuisque spondeo, Philadelphie, futurum ut solvam juxta Hesiodeum illud:

*Αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λάθιον.*

*Mensura parili & meliore.*

Dentata etiam charta res agetur.

PHIL. An magis dentata charta esse potest, quām fuit tua mecum contententis oratio? Mihi crede, Nicostrate, eos nuper habuisti satis inclementer. Non tibi cura fuit illud monitum: *Parere subjectis.* Supplicationem alteram in ipso limine inspice. Ibi longo ordine releges tua convicia & verba plusquam Archilochia: quippe quæ in Contentionibus sparsum posita erant ac dissipata, ibi in unum collegerunt.

NIC. Illiberale prorsus ac malignum fuit illud supplicantum artificium ad confundandam mihi invidiam: sic enim effectum est, ut mea dicta videantur mor-

mordacitatis habere aliquid. Ea porro si, ut fuit suis disposita locis & conforta legantur, multis ex ipso contextu sermonis mitigationibus leniri sentias, ita ut minimum acrimonie, multum urbanitatis, & elegantiæ non nihil habeant. Quis enim nescit, Philadelphæ, genus hoc orationis pugnax & contentiosum, quod in refellendo positum est, nisi nervos & aculeos habet ad instantium, fractum enectumque languescere?

*scimus, & hanc veniam petimusque damusque vicissim.*

PHIL. Ne tu es ridiculum caput, Nicostrate. Quomodo à Nostris effici potest, ut tua dicta videantur in Præfatione esse multò acerbiora & magis mordacia, quam revera sunt in Contentionibus? Certè utrobique sunt dicta eadem.

NIC. An nescis eadem ab juncturis & compagibus revulsa suis, & in unum congesta, situ mutato, mutare indolem, & aliud sapere? Ut video, opus est aliquo simili, ut hanc rem intelligas. Cedo mihi, Philadelphæ, non ne cibis salé, pipere, synapi vel aceto perspersis jucundè pascimur?

PHIL. Ita Nicostrate.

NIC. Quis tamen ex sale mero, ex mero pipere, ex mero synapi vel aceto id jucunditatibus hauriat? Insuper quid à divino Artifice elaboratum est unquam pulcrius, quam humani corporis constitutio? tamen si tam venusti corporis membra lacera & suis avulsa locis in cumulum congesta exhibantur, horrorem, non amorem pariunt. Sic in lectili pavimento, vermiculatoque opere, tessellæ singulæ suis aptæ locis & connexæ eleganti varietate delectant: sin eas recisas & avulsas in acervum comportes, quid præter deformia rudera, & versicolorem glaream reliqui facies? Tale istud est, quod ad me vocandum in invidiam supplices Janseniste excogitarunt: Minus, quam cuperent, dicta leniter ac blandè, variis ex locis per quæ erant distributa, statuerunt corradere & sub unum aspectum ponere.

PHIL. Vel hinc appetat hominum nostrorum gallidas.

NIC. Assentirer tibi, Philadelphæ, homines vestros callidos hic esse ac versipelles, si istud malitia genus suopte ingenio primi invenissent: Sed usurpavit illud jam pridem Fromondus Libertus ad infamandum Petavium. Usque adeo Majorum suorum ad conviciandum premunt vestigia, & nihil novi afferunt.

PHIL. Mihi credè, Nicostrate; etiam ubi tua verba suis disposita locis leguntur, videntur satis virulentæ.

NIC. Quibus? iis videlicet, in quos convernit illud Gregorii: *Sonorum verba, non dicta rationis, sed stimulus furoris existimant.* Quales autem sint illi, de quibus in cap. 15. Job haec dicit S. Doctor, tibi, Philadelphie, aliisque

Eru-

Eruditus incognitum non est. At vero cum hactenus tam liberalis fuerim, volo huc quoque aliquod liberalitatis meæ extare monumentum. Igitur simulamus tantisper, quidpiam à me in Adversarios dictum acieris. Hoccine iniurio vertendum putas?

PHIL. Ita enim verò.

NIC. Quām acriter in hæreticos invecti sunt SS. Pàtres! difficile est memorare vel sola nomina, quibus D. Athanasius Arianos compellavit. Quamquam non ea tantum me ratio ab hoc defensionis genere retardet, sed multò magis quod mihi parùm honorificum esse intelligam tam debiles adversarios hoc pulsare ariete. Quid supplicibus jam & ad pedes Episcoporum patribus sat est, afferam solum id quod in prologo Eunuchi habet Co-  
micus:

*Si quis est, qui dictum in se inclemens*

*Existimat esse, sic existimat*

*Responsum, non dictum esse, quia legit prior.*

Prior legit Janseniana factio. Infamibus proscidit libellis orthodoxos. Theologos complures, integros Religiosorum ordines, Episcopos, Cardinales, S. Officii Consultores, denique ipsos summos Pontifices. Quid, quod in ipsos Cœlestes dicta impia jacere non exhorrescant. Ea omnia ex libellis vestris haud ita pridem collegi, & possim jam jam publici juris facere, & faciam, si pergant mihi acrimoniam styli falsè objicere. Quā de causa cum eodem Afro in Andria

*Ut quiescant porrò, moneo, & definant*

*Maledicere, malefacta ne noscam sua.*

PHIL. Sed quid peccarat Eximus D. de Swaen, quod eum vix dignum dixeris, qui scribillator appelletur? Bonus hic vir est.

NIC. Hic vir sit bonus? Didacum de Oropega scribillatorem appellarat prior. Et quantum Didacus Eximum illum anteeat styli elegantiæ, quis nesciat? Prosecdò si Eximus de Swaen ad Didacum comparetur, est quasi infima Grammatices tiro: ergo, si scribillator sit Didacus, ille Eximus vix dignus est, qui scribillator appelletur.

PHIL. Ut verum fatear, Nicostrate; Eximus D. de Swaen melius jussit illa prætermitti.

NIC. Quid dicam, Philadelphæ? Habet adhuc batavo pulvere offusos oculos. Hinc quantum inter se & Didacum intersit, haud satis videt. Sed longior mora

Pha-

( 66 )

Philadelphie , mihi non est libera. Necesse est me ad tam longinquum iter comparem. Jubeo ergo te valere plurimum , & rogo , ut si quid , absente me , Lovanii turbatum à factione vestrâ fuerit , ad me scribas fideliter.

PHIL. Id & melius & libentiū scribet tuus Victor Cancellati.

NIC. Ille mecum abit. Hominem nosti , à me separari haud potest.

PHIL. Ergo utriusque precor felicissimum iter.

NIC. Habeo grates , Philadelphie : sed mclius de te ominarer , si nobis quam citissimum redditum appreclareris.

IMP R I M A T U R

LONGINUS CORTELDI L. C.

